UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Danielis Chamieri Delphinatis Panstratiæ Catholicæ, sive Controversiarvm De Religione Adversvs Pontificios Corpvs.

Tomis quatuor distributum. : cum indicibvs necessariis.

De Deo Et Dei Cvltv

Chamier, Daniel

Frankfurt, 1627

Liber vigesimus, De cultu creaturarum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-914

Visual Library

inquam, cultus charitatis & societatis? Hoc vero significat sic à Christianis viuis coli Christianos mortuos, vt socios: & quidem sic socios, vt quum erant in viuis: itaque cultum esse charitatis eiusdem qua inter se Christiani deuinciuntur, vt sunt eiusdem corporis membra. At cultum illum societatis & charitatis, quo viui viuos colunt, quis vnquam audiuit religiosum appellari? Oportet igitur, cultum illum, quo colendi sunt defuncti, non esse cultum religiosum, quod est contra Papistas vel non esse eundem cum cultu, qui exhibetur viuis; quod est contra Augustinum, cuius tamen autoritate sese munitos iactant. Et quia non tantum mortuis delatum cultum; dixit esse cultum charitatis, sed etiam, cap. 6. libr. 1. de Trinitate. ἀὸ ὁδιαυρεῖ eum modum, quo per charitatem iubemur seruire inuicem, & eum modum, quo tantum Deo seruitur, eadem ratione, qua opponit latriam duliæ: Ergo duliam cum Augustino definire oportet eum cultum, quo iubemur per charitatem seruire inuicem, siue cultum charitatis. Et quia non tantum mortui Sancti, sed etiam Angeli colendi sunt dulia, non autem latria: Ergo, non tantum cultus martyrum: sed etiam cultus Angelorum, erit cultus charitatis: ac proinde etiam societatis: ideoque idem cum eo, quo colimus inuicem viui viuos: ac proinde non religiosus.

XIV. Sed de ritibus illustris est Augustini sententia. Et longe dissidens à Papistarum commentis. Eos ritus enumerat, primum in genere sacra: deinde distincte, sacrificia, altaria, templa, dies festos: &, vno verbo, cum nos nostraque religiosis ritibus consecramus. Et hæc omnia ad latriam pertinere & diserte docet, & sæpius repetit. At Papistæ vnicum sacrificium latriæ faciunt eximium; sic Cotonus Epistolis ad Chamierum: & quanquam Bellarminus mollius, non omnes simpliciter: sed omnes fere actus exteriores communes esse omni adorationi: tamen idem solum sacrificium excipit. Et cap. 4. vidimus templa, delubra, aras, altaria erigi sanctis: festa autem, quis nescit eisdem consecrari? At Augustinus contra, constans est, ea ad latriã, pertinere. Et ex templis diserte colligit Spiritus Sancti Deitatem. Et contra Maximinum libr. 3. cap. 3. *Templum non est factum ab hominibus, nisi aut vero Deo, sicut Salomon fecit: aut eis qui pro diis habentur, sicut Gentes quæ ignorant Deum.* Et contra Sermonem Arianorum, cap. 29. *Si aliquibus terræ molibus Spiritui Sancto templum fabricaremus, quis dubitaret ei nos latria, id est, istã, de qua nunc loquor, seruitute seruire?* Itaque de Ciuitate Dei lib. 8. cap. 27. *Nec nos eisdem martyribus, templa, Sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.*

XV. Nunc perspicua est mens Augustini: Nisi forte illud obiiciant. Et obiiciunt sane, *Populus Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat.* Sed nihil facilius. Memorias enim appellat locos ædificatos in sepulcris martyrum: ad quos plebs Christiana conueniebat, religionis causa: hoc est, vt inibi suæ religionis exercitia celebraret: sic vt religio, non ad ipsos pertineret martyres: sed tantum ad Deum. Fiebant tamen hoc religioso conuentu, celebres eiusmodi memoriæ. Quomodo contra faustum libr. 20. cap. 21, negat Christianos sacrificare martyribus: sed concedit sæpissime sacrificare in memoriis martyrum. Quomodo item Nyssenus oratione de S Theodoro Martyre, *Nos quidem, ô beate, benignitate Creatoris anniuersariam circuli vicissitudinem assequuti; coegimus tibi publicum conuentum, sacrum, inquam, martyribus addictum, & communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoria commemorationem peragentes.* Vbi nota, diligenter duo distingui, adorationem, & victoriæ commemorationem: hanc martyri tribui, illam Deo. Et in conuentu publico illo addicto martyri; Deum adorari, non martyrem. Hoc erat, hoc scilicet, illud erat quod Augustinus dicebat, memorias martyrum religiosa solemnitate celebrari: nimirum, quia in ea solemnitate Deus solemniter adorabatur, quæ est religio.

Quomodo si dicam, apud Papistas festa Sanctorum nundinis & mercatu celebrari: quod verissimum: non tamen puto, confici nundinas & mercatum ad Sanctos ab eis referri.

FINIS LIBRI DECIMINONI.

LIBER VIGESIMVS,

De

CVLTV CREATVRARVM.

Caput Primum.

STATVS CONTROVERSIÆ DE INVOCATIONE Sanctorum.

QVÆSTIONEM de Inuocatione Sanctorum: & alteram de eorundem Reliquiis hoc libro, σὺν Θεῷ, pertractabimus. Illam de inuocandis Sanctis plerique confundunt cum generali de Sanctis adorandis, quæ superiori proximo libro disputatur. At distinxit non tantum Lorichius in suo Fortalitio; sed etiam Bellarminus: hac ratione motus, quod in ea sit peculiaris difficultas. Et mihi quidem probatur consilium. Distinxit & Bailius, tractauitq; separatim, quæst. 44. & 47. part. 2. Catechismi.

II. Inuocandos ergo Sanctos, Papistarum sententia est. Bellarmini diserta verba, *Sancti, siue Angeli, siue homines, pie, atque vtiliter à viuentibus inuocantur.* Coloniense tamen Enchiridion, explanans primum Decalogi mandatum, distinctione vtitur. Verbum *inuocare*, inquit, si proprie & secundum magis communem Scripturæ intellectum, accipias, pro eo quod est, aliquem, tanquam suæ salutis primum ac solum autorem appellare, & pro ope aut auxilio sua virtute impartiẽdo interpellare, constat Sanctos inuocandos non esse, ne quod solius Dei est, Sanctis tribuamus. Verum, si late, & propemodũ improprie accipias, pro eo, quod est, simpliciter *interpellare*, seu ministerium alicuius aut officium *expetere*, certe hac ratione non videmus; cur quispiam impium esse putet, inuocare Sanctos.

III. At Catholici negant Angelos, Sanctosque inuocandos: Esse enim inuocationem vel religiosam, vel ciuilem. Religiosam deferri vlli creaturæ: blasphemum esse, & idololatricum. Ciuilem autem Angelis ac Sanctis tribui ineptum, & stolidum, quandoquidem nobiscum Angeli, Sanctiue defuncti nullum habeant ciuile commercium, quod omnino requiritur in inuocatione: cuius alia ratio est, quam honoris, qui deferri potest ciuiliter, etiam iis hominibus, quibuscum nihil intercedit communicationis; sed inuocatio longe se habet aliter. Itaque Papistas dicimus vel stolidos, si ciuiliter inuocent, vel idololatras, si religiose. Quanquam vtrum sint, facile est discernere: quandoquidem hanc illi habent suę religionis partem non postremam: ideoque non Nouatores tantum, sed & hæreticos indigetant, qui suam audent hanc sententiam non probare.

IV. Et conqueritur tamen sibi injuriam fieri Bellarminus triplicem. Primo, quod eos dicat Caluinus inuocare Sanctos plane vt Deos, Institutionis libr. 3. capite 20. §. 22. Calumniam esse probat, ex Litaniis, in quibus oratur, *S. Paule ora pro nobis.* Quum nemo tamen audeat dicere, *Sancte Deus era pro nobis.*

V. Respondeo Bellarminum ipsum calumniari: Verba hæc sunt Caluini, *Postquam cœptum fuerat in Sanctorum intercessionem respicere, sensim sua cuique procuratio est attributa, vt pro negotij diuersitate nunc hic, nunc ille aduocaretur intercessor: tum singuli peculiares sibi diuos adsciuerunt, in quorum, non secus atqui tutelarium deorum, fidem se contulerunt. Neque modo (quod olim Israeli exprobrabat Propheta) secundum vrbium numerum dij sunt erecti, sed secundum capitum multitudinem.* Hæc Caluinus. Hic autem, vbi illud est Bellarmini, inuocari plane tanquam deos: sed tanquam intercessores. Quia tamen nomine tenus modesti, reapse Christianæ moderationis limites longe præteruolant; hanc eorum superstitionem comparat Ethnicorum superstitioni: & apud Papistas obseruat esse Sanctos, pro diis tutelaribus apud Ethnicos. Nam certe & libro præcedenti obseruaui me legere in Iouio hanc ipsam tutelarium deorum nuncupationem Sanctis tributam. Tursellinum, cap. 14. lib. 1. dicentes, ipsam Dei parentem enixius orant, vt se in suam sedem tutelamque reciperet. Nemoque ignorat à Papistarum vulgo Sanctos dici Patronos. Sic Eligius fabrorum ferrariorum patronus: Elasius carminatorum; Antonius porcorum: Blandina apud Viennenses lanificij: Lucia sartorum, Crispinus sutorum, Aurigarum tres reges, Iosephus fabrorum lignariorum, Lucas pictorum, Georgius militum, Nicolaus nauigantium. Quid de vrbibus dicam? Imo quid de singulis vrbium paroecijs? Hoc Caluinus reprehendit, & merito reprehendit: merito, inquam, in Papistis.

VI. Secundo Bellarminus queritur Caluinum dicere à Papistis rogari Virginem, vt Filium jubeat facere quod petunt. Hic ille primo, Quis nostrum hoc dicit? Cur non probat vllo exemplo? Et Hayus Disputationum libro 2. cap. 6. *Iupudentissime hoc nobis imponis. Nullus enim nostrum est, qui hoc carmen vnquam cecinit.* Secundo, Præterea si Iosue 10. dicitur, *Obediente Deo voci hominis, &c.*

VII. At ego testor habere Missale ad vsum Ecclesiæ Tullensis: in quo sunt hi versus,

O Felix puerpera,
Nostra pians scelera,
Iure matris impera,
Redemptori.

In prosa cuius initium, *Mariã præconio.* in officio de beata Maria. Sed quid opus testibus? Si eam precandi formam probant; cur dissimulant? Imo cur queruntur sibi obijci? Si improbant, cur non aperte? Et vide mihi Papistarum ingenium. Bellarminus semihulcis labris, nescio quid susurrat, vt ostendat non impie rogari Mariam, vt natum jubeat. Noluit prorsus ἀνάπολόγητον deseri; tam pium zeli Papistici documentum: & tamen apologiam perficere erubuit. Sic fugit ad salices: & se cupit ante videri. Satin' Theologicè?

logice? Verum quod tam cate caute Bellarminus solo indicauit digito, Cotonus plenius exsequutus est, & probauit non impie potuisse sic orari Mariam. Examinemus argutias.

VIII. Si Iosue 10. dictum est, Deum obediuisse voci hominis: Ergo & nunc rogari potest Maria, vt imperet Christo jure Matris. Miram Bellarmini securitatem! Quasi sibi cum fungis scirent esse negotium. Atqui nunquam Scriptura dicit, Deum obedire voci hominis. Nunquam Spiritus Sanctus adeo depressit infinitam illam maiestatem. Solis, solis reliquit Papistis, tantam blasphemiam. Quid tum autem si peccauit Latinus interpres? An satis id solidum fundamentum tantæ blasphemiæ? Certe non magis hoc loco vlla est Dei obedientia, quam Geneseos 21. *Exaudiuit Dominus vocem pueri.* Et 30. *Exaudiuit vocem meam*: Et similibus locis infinitis. Quærant quibus nimium est otij; cur Interpres ille eandem vocem, quam alias semper in eadem phrasi vertit *exaudire*: hoc loco maluerit exprimere per obedientiam. Sed si non fuit vnus homuncio satis cautus, non est æquum tamen Papistarum insaniam, pro lege haberi.

IX. At Cotonus longe acutior Apologetici pro Matre Dei, capite 18. Lucæ 2. dicitur Christus subditus fuisse parentibus. Si subditus, inquit: Ergo jussionibus obnoxius: Nam imperare & subiici, relata sunt. Et Marci 10 Lucæque 20. negat sese Christus venisse, vt sibi ministraretur, sed vt ministraret potius.

X Miram Theologiam! Itane vero? vt nihil sit discriminis inter aduentum Christi primum, & sessionem ad dextram? vt seruum adhuc Dominus agat, etiam nunc, cum venit in gloriam suam? in regnum suum? Ergo nunc etiam sistatur coram Pilato: Ergo cædatur virgis; Ergo crucifigatur: Ergo sepeliatur. Nam quis neget ad ea omnia experiunda venisse primo? Quid? quod non Mariæ tantum subditus fuisse dicitur: sed etiam Iosepho? Non enim ὑποτασσόμενος αὐτῇ: sed ὑποτασσόμενος αὐτοῖς: nimirum ante nominatis, patri & matri. Quid ergo? An Iosephum ita orari probet Iesuitæ, *Sancte Ioseph iube Christum: iure patris impera*? Similiter venit ministrare, non vni virgini Mariæ, sed suis discipulis. Ergo ne etiam Petrus imperabit Christo? Nam hoc quidem consequens necessarium: æquè ac illud Cotoni: Nimirum solemne est Cotono, tum magis ineptire, cum magis serio ratiocinatur. Longe sanctior Chrysostomus homilia 20. in Ioannem, ἐπεὶ οἴδειν αὐτόν, ἠξίει καὶ τὸν λοιπὸν τῶν μητέρων συνήθειαν, ὅτως ἅπαντα ἐπιτέλειν αὐτῷ, δέον ὡς δεσπότῃ σέβειν καὶ προσκυνεῖν. *Quia illum pepererat, existimabat Maria, se ei more matrum aliarum omnia imperaturam: cum deberet tanquam Dominum colere & adorare.* Sic in terris: quanto magis in cœlis. Nyssenus in illud, quando sibi subiecerit omnia, παρεπέμψας αὐτὸν οἰκείας εἰς Κανὰ τῆς Γαλιλαίας δεῖξαι τὸν δυνάμιν: *Illa ipsum hortante in Cana Galileæ, vt suam ostenderet potentiam in nuptiali epulo, & vsum vini largiretur conuiuio, egentibus quidem non recusauit gratificari, maternum autem consilium, vt quod minime in tempore adhiberetur, reiecit,* εἰ οὖν ἐν τῇ διὰ σαρκὸς ζωῇ τὸ κοινὸν τῆς ἡλικίας μέτρον τὸν τῆς γονοπαρόντος ὑποτεταγὼ δοκεῖτε, πῶς χώραν ἔχει ἡ ὑποταγὴ ἐν τῇ διαπόζοντος δυναστείᾳ αὐτὸν ἐξ αἰῶνος ἐκ αὐτῆς εἰπεῖν ἔχοι, *Si ergo in vita, quæ est in carne, iustus & competens ætatis modus genitricis excutit subiectionem, quem locum habeat subiecto in vita illius, quæ in virtute sua seculo dominatur, nemo dicere potest.*

XI. At Catholici obseruant Christum in aduentu illo primo, quum exinaniuit se sumpta serui forma, ita subditum fuisse Mariæ; vt tamen in rebus regni cœlestis, ostenderit nihil illi juris esse. Lucæ 2. *Quid est quod quærebatis me? an nesciebatis quod in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse*? Ioannis 2. *Quid mihi tecum mulier?* Matthæi 10. *Quis est mater mea? Et qui sunt fratres mei?* Et quisquam credat nunc in cœlis positum, nunc elatum super omnia, nunc sedentem ad dextram Patris, vt illi flectatur omne genu etiam cœlestium, in quibus Maria: hoc, inquam, statu quisquam eum credat obnoxium mandatis Mariæ? Et subditum in rebus pertinentibus ad suum cœleste, regnum? Nam quid pertinet ad regnum cœleste, si non ea pertinent, quæ postulantur à Papistis inuocantibus: remissa peccatorum, augmentum gratiæ, vita æterna, alia plurima?

XII. Instat Cotonus, & ne illud, *venit vt ministraret*, quis intelligat de statu peregrinationis Christi, obiicit ex Lucæ 12. Christum loquentem de via futura, eadem vti phrasi, *Transiens ministrabit illis.*

XIII. At hoc argumentum est allegoricum, id est, nihili, si non habet locos perspicuos, ex quibus constet re vera Christum ministraturum omnibus Sanctis. Et omnibus inquam: vt possit quilibet nunc orari eodem modo quo oratur Maria, vt imperetur Christo. Hoc nisi doceat, frustra est, quum disputat. Nam Catholici, vt nuptias, vt discubitum allegorice intelligunt, id est, non nuptias, non discubitum: sic etiam ministerium allegorice, id est non ministerium. Zacharias Chrysopolitanus. *Transiens ministrabit, quia rediens de iudicio ad regnum, post ipsum iudicium nos lucis sua illustratione, satiabit. Vel certe transiens dicitur ministrare, quia suos feliciter transire faciet, cum de speculatione humanitatis ad contemplationem diuinæ claritatis eleuabit.* Euthymius. *Præcinget se iustitia retributionis: & faciet illos discumbere, ad requiem sempiternam, tanquam eos qui propter ipsum laborauerunt: ac ministrabit illis distributionem dignarum retributionum.* At huiusmodi ministerium, non eius est qui jussionibus paret: sed eius potius, qui iis ipsis imperat, quibus ita ministrat. Maldonatus, *Qua ratione hoc sit ad Christum accommodandum, non est nimis ingeniose quærendum. Nihil enim aliud significatur, quam illum nobiscum gloriam, quam habet, communicaturum.* Et paulo post, *Non quod ipse nobis ministraturus sit: in eo enim non est parabola ad rem, de qua agitur, accommodanda.* Postea eo sensu dicit ad Christum applicandum, quod nobis in cœlo inusitatum & incredibilem honorẽ gloriamq; sit exhibiturus, & pares nos sibi quodammodo facturus.

XIV. Rursus instat. Autor naturæ perficit, at non destruit opus manuum suarum. Ergo subiectio naturalis filij ad matrem, & matris ad filium, nunquam amittitur: sed potius in cœlis perficitur. Ergo postquam semel Æterno Verbo placitum est Mariam agnoscere pro vera matre, ita etiam in cœlis, quandiu verus erit Deus & homo.

XV. Pulchre. Nam exinanitio, & status ille humanitatis scilicet perficietur, & non potius abolebitur? Nisi forte Iesuita neget eum statum esse opus manuum Dei. Cæterum cognosci etiamnum pro matre Christi Mariam, nemo dubitat. Sed omnia quæ in hac vita materni juris sunt; hæc itẽ in cœlis permanere, hoc vero incertum est. Nam ne in hac quidem vita ita fit. Reges quamdiu pueri sunt, matrum imperiis sunt obnoxij: non item postquam ætate viri, regnum per se administrant. Tum enim contra matribus filij imperant. Denique eadem erit argumenti vis in Iosepho. Nam etsi non fuit naturalis Christi pater Iosephus: tamen ei se subdidit, quasi patri. Quod si id perficitur in cœlis: Ergo hodie multo magis subditus est Christus Iosepho, quam olim quum puer esset. Quid Cotonus respondebit?

VI. Pergit argumentando. Geneseos 32. *Dimitte me*, inquit Deus Iacobo. Et Iacobus contra, *Non dimittam, nisi benedixeris mihi*, Et Exodi 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus.*

XVII. Quorsum hæc? An illud *sine me*, significabit, desine imperare mihi? Atqui falsum. Nam Moses Exodi 32. Deo non imperabat: quis enim credat? Imo statim ipse Moses, *Deprecatus est faciem Iehouæ Dei sui*, id est, orabat Dominum. Non imperabat igitur: non jubebat. Et tamen si hoc ipsum concederetur, ex vi argumenti, non sola Maria juberet natum, non sola imperaret. Nam cur non etiam Moses? Cur non reliqui sancti: Sed ludunt: profecto ludunt Papistæ, non disputant, & sibi persuadent, aliis etiam persuasum velint, non interesse quid dicant, graue an leue: solidum an inane: verum an falsum: dum dicant. Quasi non hominum religio, sed stipitum esse negotium.

XVIII. Tertio Bellarminus queritur à Caluino Papistas argui, quod ante statuas Barbaræ, vel Catharinæ, demurmurent *Pater noster*: & pastores eorum suo plausu hunc vsum approbent. Respõdet autem etiam simplicissimos si interrogentur, respondere se orationem Dominicam dirigere ad Deum: sed coram imaginibus, sperantes per auxilium Sanctorum suam orationem ad Deum melius, & facilius peruenturam. Secundo, etiam si aliqui tam stupidi essent, vt Sanctæ Barbaræ dicerent, *Pater noster*, imperitiam aliquorum traduci non debere, quasi esset dogma Ecclesiasticum: nec Pastores hunc abusum probare.

XIX. De facto constat, & quotidie mille fiunt experimenta. Nam Papistæ vix alias preces sciunt, præter, *Pater noster*, & *Aue Maria*. Eas preces aduoluti genibus demurmurant coram imaginibus; quas deligunt pro suo arbitrio. Quo nihil cogitari potest absurdius, nihil ineptius, nihil Christiana fide indignius. Neq; vnquam factum, nisi tum quum linguæ incognitæ peruasit vsus Ecclesiam. Nam quis tam stupidus fingi possit inter homines, qui si intelligat quid sit, *Pater noster*, iis verbis, oret Blasium, Eligium, Gingolphum, Gignefortum, & quod omnem superat stuporem, Barbaram, Catharinam, Margaretam, Mariam? Quis, si salutet Annam, Magdalenam, Thaidem, aut etiam Adulphum: Andeolum, Baldomerum, Balolum, declamitat *Aue Maria*? Et tamen ita fit, omnino ita fit apud Papistas.

XX. At sciunt se orationem Dominicam dirigere ad Deum. Qui, inquam, id sciunt, Iesuitæ fortasse: & pauci cum iis, aut pauci post eos doctorculi. Nonnulli etiam, si forte, in plebe nasutiores. Plebs ipsa nescit: nescit, inquam, plebs humilior, quam sua ignorantia detinet: imo quam in ignorantia detinent versutissimi prælati; qui se illis pascendos norunt. Sed si sciunt, cur coram Chrysogono, Iuone, Rocho, Berardo? Sperantes, inquiunt, per auxilium Sanctorum, suam orationem ad Deum melius & facilius peruenturam. Optime, inquam, non enim secreta cordium Deus nouit: nimisque à summis cœlis terra distat, vt hinc orantes illinc subito possit audire. Athæc spes, hæretica est, papistica est: non est Catholica: non est Christiana.

XXI. At non oportet imperitiam aliquorum traduci, quasi dogma Ecclesiasticum. Recte, inquam sed potest imperitia, plerumque omnium Papistarum, reprehendi tanquam dogma Papisticum. Nam Ecclesia tantam stupiditatem, neque propinat, neque tolerat: At Papistæ, si non propinant, certe tolerant. At Pastores non probant. Quid tum, inquam, si tolerant, si fouent? Et hoc Caluinus reprehendebat. *Hunc furorem*, aiebat, *tantum abest vt Pastores sanandum vel cohibendum curent: vt quæstum odore allecti plausu suo comprobent.* Recte, & pie. Nam quid tum si Iesuitarum, si Papistarum ingratis?

CAP. II.

An Scriptura doceat inuocationem Angelorum.

I. EX Scripturis Papistæ probant Angelos fuisse inuocatos. Beccanus diserte in Analogia Veteris ac Noui Testamenti, capitis 3. quæst. 6, disputat ex professo, etsi non sanctos homines, tamen Angelos fuisse inuocatos in Veteri Testamento. Et citat primam, ex Geneseos cap. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hic aperte Sanctus Iacob Angelum inuocauit. Nam idem est (inquit Lorichius) ac si dixisset, Angele Dei, benedic pueris istis. Et Beccanus notauit diserte Iacobum primum quidem inuocasse Deum, deinde Angelum custodem.

II. Respondeo, primo nullam esse inuocationem: sed duntaxat expressum desiderium, quo Iacob ita fieri cupiebat. Quemadmodum alias sæpe. Geneseos 27. cum Isaac Iacobo benediceret, *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* Quis credat inuocatos ab Isaaco fuisse populos, & tribus? Geneseos 17. *Vtinam Ismael viuat*: nec tamen Ismaelem credo; inuocabat Abraham. Imo statim eodem loco, *Inuocetur in eis nomen meum*, eadem phrasi. Itaque sophistæ nimium sunt audaces, qui sua tantum freti autoritate exponant, *Angele Dei, benedic*, cum potius debuerint simpliciter dicere, Abrahamum serio optare, vt Angelus benediceret: quod quidem fieri potuit, etiam si nunquam vel in animo habuerit Angelum inuocare, sicut potuit dicere, *Inuocetur nomen meum in iis*, etiam si dicere non potuerit: ô nomen meum, inuoco te, vt tu inuoceris in iis.

III. Secundo, Angelum hunc à Iacobo nominatum, non certum est esse creatum. Nonnulli enim Patres, iique non postremi ordinis contra senserunt, imo disputarunt. Est autem contextus huiusmodi, *Deus, in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Vbi non tantum coniungitur Deo Angelus, quod jam valde est præter morem Scripturæ, si is Angelus creatus est: sed etiam vnum idemque beneficium à Deo postulatur, & ab Angelo: quod ferre non possint facile aures piæ.

IV. Ita-

IV. Itaque Athanasius contra Arianos oratione 4. probans ex Paulo ad Thessalonicenses, *Ipse autem Deus Pater noster, & Dominus Iesus Christus dirigat viam nostram*, ex iis, inquam, verbis probans Athanasius τὴν ἑνότητα καὶ παῖδας καὶ υἱοὺς, vnitatem Patris & Filij, nimirum quod in eodem voto vterque esset coniunctus: ἡ τοιαύτη δόσις, δείκνυσι τὴν ἑνότητα καὶ παῖδας καὶ υἱοὺς. *Hæc eadem donatio probat Vnitatem Patris & Filij.* Cur non ergo in Genesi probaret Vnitatem Dei & Angeli? οὐκ οὖν γραῦς ἐξαιτεῖ τις λαβεῖν παῖδας καὶ τὸν Ἄγγελον, ἢ παῖδας τινὰς τῶν ἄλλων κτισμάτων· ἐπεὶ οὐ τοιοῦτος, δώῃ σοι ὁ Θεὸς καὶ Ἄγγελος, *Nunquam quispiam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab vllis rebus creatis. Neq; quispam hanc verborum formam concipit, Det tibi Deus & Angelus.* Satin' id ex ingenio Iesuitarum. Sed statim ad hunc ex Genesi locum, εἰ δὲ ὁ Παλαιάρχης Ἰακὼβ εὐλογῶν τοὺς υἱοὺς Ἐφραὶμ καὶ Μανασσῆ ἔλεγεν· ὁ Θεὸς, ὁ τρέφων με ἐκ νεότητός μου ἕως ἡμέρας ταύτης· ὁ Ἄγγελος ὁ ῥυσάμενός με ἐκ παντὸς τοῦ κακοῦ, εὐλογήσαι τὰ παιδία ταῦτα, *Quod si Patriarcha Iacob benedicēs nepotibus Ephraim & Manasse dixit, Deus qui aluit me à iuuentute mea ad hanc diem: Angelus qui eruit me ab omnibus malis, benedicat pueris istis,* ἡ τῶν κποδίντων, καὶ τὸν φυσὴν Ἄγγελον ὁ τοῦ ἑνὰ συνῆπτε τὸ κίσαν αὐτοὺς Θεῷ· ἐδὲ ἀφεὶς ὃν ἐρέφοντα αὐτὸν Θεὸν, παρ' Ἄγγελε τὸν εὐλογίαν ἤτει τοῖς ἐκγόνοις· ἀλλ' εἰρηκὼς ὁ ῥυσάμενός με ἐκ παντὸς τοῦ κακοῦ, ἔδειξε μὴ ὧν κλεδίνλον ἀνὰ Ἄγγελον ἀλλὰ τὸν λόγον εἶναι καὶ Θεοῦ, ὁ τῷ πατρὶ συνάπλων ἡνυκτο· διὸ καὶ ἐν ἐκεῖνῳ ῥύεται ὁ Θεὸς τοῦτο δὴ καὶ μεγάλης βουλῆς Ἄγγελον τοῦ πατρὸς εἰδὼς καλέσμενον, οὐκ ἄλλον, ἀλλ' ἢ αὐτὸν εἶναι τὸν εὐλογοῦντα, καὶ ῥυόμενον ἐκ τῶν κακῶν ἔλεγεν: *Non vnum creatorum, & natura Angelorum copulauit Deo, qui eos creauit neque omisso nutritio suo Deo, ab Angelo postulauit benedictionem suis nepotibus: sed dicēs, is qui liberauit me ab omnibus malis, non vnum indicauit creatū Angelum: sed esse Verbum Dei, quem Patri in suis precibus sociauit per quem quos vult Deus liberat. Hunc enim magni consilii Patris Angelum nouerat: n eo alium, nisi illum ipsum qui benedicit, & liberat ex malis, suis verbis expressit.*

V. Idem argumentum eodem modo tractat, iisdemque propemodum verbis Cyrillus Thesauri libro 3. c. 1. *Nemo certe audire patietur dicentem aliquem, Vtinam Deus Pater & Angelus, verbi gratia, quispiam dirigat viam tuam.* Et obiiciens sibi hunc ipsum Geneseos locum, paulo post, *Sed si nulla, inquiunt, creatura cum Deo simul in faciendo dandove aliquid accipitur, quamobrem Patriarcha Iacob nepotes filios Ioseph benedicens ait, Deus, qui me alit ex infantia, vsque ad hunc diem, & Angelus qui liberat me ex omnibus malis, benedicat pueros istos? Ecce Deus nominatur: & Angelus vna cum eo: & quidem in singulari numero benedicere dicitur.* Audisti obiectionem? audi solutionem. *Si prophetico spiritu decoratum hæretici fatentur, & Sanctum Iacob fuisse virum non negant, cuius gratia ita ipsum errasse contendunt, vt Angelum Deo coniunxerit, & vna cum Deo posse benedicere putauerit? Nolint, quæso, ita Sanctum virum illum vituperare: sed verum suorum verborum sensum inquirant, si Sanctum fuisse illum arbitrantur. Sin vero minime id putant, cur autoritate ipsius confirmanda dogmata vtuntur?* Omnino his verbis Cyrillus asserit hæreticum, & impium sensum esse eorū, qui Angelum à Iacobo cum Deo copulatum putant. Et statim, *Sed nos nugis hæreticorum contemptis, Patriarchæ verba breuiter exponamus. Spiritu ergo ille sancto ad veritatem dogmatum ductus: primo Deum orat, vt pueros benedicat: & simul etiam Angelum, qui liberabat eum ex omnibus malis: vt per Deum, Patrem ipsum significaret, per Angelum autem Verbum Patris. Non enim ignorabat, quia nomen eius, magni consilii angelus est.* Istis alia subiicit, quibus probat Deum non Angelum, liberasse Iacobū ex omnibus periculis.

VI. Vtriusque ergo: Athanasij & Cyrilli sententia est, Angelum, hoc loco nullum intelligi creatum: sed illum increatum, qui est Angelus magni consilij. Et iis calculum suum addit Procopius. *Iacobus cum beneciceret adolescentulos, nominauit Deum, qui ipsum aluit, & Angelum, qui ipsum in omnibus periculis seruauit: semper coniungens Deo Patri & Filium, qui apud Prophetam magni consilij Angelus vocatus est.*

VII. Antiquior etiam Nouatianus, ille quidem hæreticus tandem, sed tum Catholicus, c. 15. de Trinitate, *Nemo Christum, sicut Angelum non dubitat dicere; ita etiam Deum hæsitet pronunciare cum hunc eundem, & puerorum horum benedictionem per sacramentum passionis digestum in figura manuum, & Deum & Angelum intelligat inuocatum fuisse.*

VIII. Sic illi, Chrysostomus haud longe ab iis abit Homilia 66. in Genesin, non distinguens tamen Patrem & Filium: sed Angelum eundem intelligens & Deum, *Et nunc iterum alis verbis dicit:* exposuerat enim illa priora: *Deus qui pascit me à iuuentute mea.* Sequētia igitur ita accipit, vt sint alia quidem verba: sed vsurpata ad idem significandum. Iis igitur recitatis verbis, *Grata*, inquit, *animæ ac piæ, & bene memoris beneficiorum Dei verba. Ille inquit, cui patres mei bene placuerunt: qui me à iuuentute mea vsque in præsentem diem educauit: qui me ab initio ab omnibus malis liberauit: qui tantam erga me declarauit prouidentiam ipse benedicat hos pueros.*

IX. Sic boni illi Patres. Fronto tamen Ducæus de Nouatiano nonnihil habet quod admoneat. Non esse hunc eius scopū; vt ostendat hunc Angelū esse Filium Dei: sed potius Iesum Christum esse Deum verum. Idque eum colligere ex hoc loco; siue illum Angelū quis dicat esse filium Dei; siue quis Angelum putet duntaxat. Nam si filius Dei sit: ergo inuocatur tanquam Deus in benedictione puerorum. Sin Angelus: Ergo eum Angeli in Scriptura Dij dicantur, multo magis Christus. Deinde fateri Angelum posse inuocari, cum dicat Christum inuocari tanquam Deum; & tanquam Angelum. Itaque Nouatianum Papistis fauere.

X. Sed hoc specimē est Iesuitici ingenii in male tractandis Veterū libris. Tam enim procul à verbis Nouatiani discedit: quā qui maxime. Recte obseruauit Pamelius initiū huius capitis esse mutilum. Ego certe censeo multa deesse, in quibus loci multi citabantur, vbi Angeli nomen pro Deo erat; aut Angeli dicebantur Dij. Id facile colligas ex his verbis, *Ac si aliquis hæreticus pertinaciter obluctans aduersus veritatē, voluerit in his omnibus exemplis proprie Angelum intelligere, aut intelligendum esse contenderit, in hoc quoq; virib. veritatis frangatur necesse est.* Et audis, *in his omnibus exemplis*: cum tamen in editio codice, vnicus, iste locus legatur, de cuius explicatione contendimus. Interea ex ipsis verbis patet Nouatianum probasse ex Iacobi verbis Filium Dei esse Deum: mirsirum, quia inuocetur cum Patre. Id ea quæ excerpsimus tam manifestū faciunt, quā quod manifestissimum est. Cætera, quæ Fronto profert, falso profert: non enim ille ex vtroq; sensu argumentatur: sed opposita sibi hæretici obiectione, negantis iis locis Angelos esse proprie; tum alia tela conquirit, quibus ipsos conficiat. Et sane, quis caput aut pedes agnoscat in hac argumentatione, quæ Nouatiano imputatur? Hoc in loco Geneseos Angelus vel Christus est, vel Christus est, vel Angelus proprie: si Christus, ergo Deus est. Si Angelus, ergo multo magis Christus Deus est, quam Angelus. Hoc, inquā, quo artificio extundi potest, ex eo loco? Nam Angelus ille non appellatur etiam Deus: sed distinguitur à Deo. Id vero ne Oedipus quidem concipiat. Quid illud, Angelum posse inuocari: vnde habet? non enim dixit Nouatianus. At dixit Christum inuocari tanquam Deum & tanquam Angelum. Imo Nouatianus non dixit: sed perfidiosissime Fronto commentus est. Dixit Nouatianus Christum esse Deum, quia & Deus & Angelus inuocatus sit: Nempe quia eundem intellexit Deum, & Angelum, id est, Filium Dei.

XI. Interea certum, primo abiis Patribus hoc loco Angelum intelligi nullum creatum: ideoque non posse hinc probari Angelorum inuocationem. Secundo, alienum à Christianis fuisse, imo piis auribus intolerabile, creaturam inuocatione Deo copulari. At hoc apud Papistas, tam tritum, tam vulgatum est, tam quotidianum, vt nihil magis. Vix aliter precantur, Deo addunt Sanctorum aliquem, eum nempe cui deuoti sunt. Si sternutet quis, iuuet te, inquiūt, Deus, & beata Virgo. Si stipem petat mendicus: Prouideat tibi Deus, & dominus Sanctus Petrus. Si morbo quis laboret, præsto erit ei morbo Sanctus aliquis præsidens: vt si peste: sanet te Deus & dominus Sanctus Rochus. Si hydropisi: sanet te Deus & dominus Sanctus Eutropius. Si epilepsia, sanet te Deus & dominus Sanctus Ioannes. Quid omnia percurram? Atque ἤρκει τὴν πατέρα δοῦναι μόνον. ἐδεῖτο τὴν γεγηπῶν ἐπικουρεῖν τὸν θεὸν τὴν ποιήσαντα ἐν τοῖς ἐνδεεῖσι. *Sufficeret*, inquit Athanasius, *Patrem ista solum dare, nulla ex creaturis in ratione dandi in societatem admissa.*

XII. Sed obiicit rursus Fronto, alios hunc eundem locum de Angelo proprie interpretantes. Augustinum capite vigesimo Loquutionum in Genesin, concludentem inuocari posse nō Deum solum, sed etiam aliud. Chrysostomum homilia 24 in Genesin, & sermone de Ascensione. Basilium libr. 3. contra Eunomium. Athanasium ad Serapionem. Volfgangum Musculum in Genesin. Biblia Tigurina. Melanchthonem in articulis Bauaricis. Caluinum Institutionis lib. 1. c. 14. § 6.

XIII. Respondeo primo, Augustinum falso citari: & Chrysostomi homiliam 24. in Genesin: Et Athanasium ad Serapionē. Nam in Chrysostomo, nihil habetur de Angelis Iacobum alloquentibus: in Athanasio nihil de hoc Geneseos loco. Augustini verba sunt, *Iacob benedicēs nepotes suos filios Ioseph, ait inter cætera, Et inuocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum, vnde notandum est, non solum exauditionem, sed etiam inuocationem dici aliquando, quæ non Dei, sed hominum sint.* Vbi nihil de Angelo, de quo nos nunc agimus, sed de Inuocatione nominis, de quo suo loco nobis erit agendum. Inuocationem autem, cur non diceret etiam hominum? Potest enim esse ciuilis quædam inuocatio. Caluinus, etsi in Institutione locum hunc citauit inter alios, quibus probet Angelis hominum curam esse demandatam; tamen in Commentariis in Genesin, diserte transit in Athanasij, Cyrillique sententiam, *Si Angelum adiungit Deo*, inquit, *vt eum parem faciat. Certe diuinum illi cultum tribuit eadem ab eo quæ à Deo petens. Si de Angelo quolibet indifferenter accipias, absurda erit loquutio, quin potius Dei nomen ac personā sustinens in benedicendo filio, hac parte Angelis est superior. Quare necesse est Christum intelligi.* De Bibliis Tigurinis nulla est difficultas. Aliud enim est vertere singula vocabula, aliud singulorum vocabulorum sensum interpretari.

XIV. Superest Chrysostomus de Ascensione. Basilius contra Eunomiū: quos agnosco citasse hunc locū, vt probēt Angelis homines esse curę. Chrysostomus, *Vt scias quod Angeli vbiq; versantur, audi quod Paulus fœmineo pudori prospiciens ait: Debēt mulieres velamen habere supra caput, propter Angelos. Et iterū Iacob: Angelus, ait, qui liberauit me à iuuentute mea, & illi qui cum Apostolis erant aiunt ad Herodē, Angelus ipsius est. Et Iacob. Vidi inquit, castra Angelorū.* Basilius, τὸ δὲ συνεῖναι ἐκείνῳ τῷ πιστῶν Ἄγγελον, οἷον παιδαγωγὸν ἔχοντα καὶ νομέα λέγει ζωὴν διδιωσόμενον, ἐδεὶς αὐτοῦ μεμνημένος τῷ τοῦ Κυρίου λόγου, εἰ πόνος· μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν ἐλαχίστων τούτων. ὅτι οἱ Ἄγγελοι αὐτῶν ἀεὶ βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός μου τοῦ τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὁ Ψαλμῳδὸς φησὶ· παρεμβαλεῖ Ἄγγελος Κυρίου κύκλῳ τῶν φοβουμένων αὐτὸν καὶ ὁ Ἄγγελος ὁ ῥυσάμενός με ἐκ νεότητός μου, *Singulis autem fidelibus Angelum adesse, qui veluti pædagogus & moderator eius regat, nemo inficiabitur, qui memor sit horum Domini verborum: Ne quemquam aspernamini ex minimis istis. Angeli enim ipsorum assidue vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Et Psaltes ait: Castra metatus est Angelus Domini circa timentes ipsum: & illud, Angelus qui me liberauit iam inde à iuuentute mea.* Verum quam disparilis est eorum autoritas qui obiter & in turma lonasius, ita Cyrillus. Itaque in Chrysostomo, Basilio, Musculo, sola est nomicum nomen est nulla parte minus: tum ratio est certa. Quis ergo neget huc propendendum potius?

XV. Denique argutatur Fronto: Quum Scriptura quosdam appellat Angelos simpliciter, veri Angeli censendi sunt, beati illi spiritus, quorum natura est supra hominem, quibus nomen est ab officio. Geneseos 19. *Venerunt duo Angeli.* Sed quum quid præterea additur, vt Esaiæ nono, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος: eiusdem 33. *Angeli pacis.* Malachiæ 3. *Angelus testamenti*: tum id nomen sumendum pro legato, aut nuncio.

XVI. Sed hęc obseruatio est nugatoria. Nā contra Athanasius, Cyrillus, Procopius, hoc Geneseos loco Angelū absolute nominatum intelligunt de Angelo magni Consilij, quem Septuaginta interpretes legunt Esaiæ 9. Itaq; senserunt non semper Angelum absolute nominatum, intelligendum creatum. His si suum nomen opponat Fronto; quis non rideat? Augustinus oratione de quinque Hæresibus: quem locum describam ex meo manuscripto codice, paulo aliter qaam in editis, & rectius, *Dixit Dominus ad Moysen: Ecce ego mitto Angelū meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obserua eum, & audi vocem eius, ne contemnendū putes. Audisti Angelū, agnosce Dominū. Ne cōtemnendū putes. Adhuc audi: audi quod metuas: ne, inquit, contemnendum putes. Quare? Quia non dimittet cum peccaueris: & est nomen meum in illo. Quis est tūc tam magnus, cui Deus & potestatē suam dedit & nomen? Dominus viz. ut ipse est rex gloriæ. Et vnde*

probamus, quod quum dicitur Angelus, debeat intelligi Deus? Habes hoc in libro qui appellatur Genesis. Venerunt, inquit, duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth pro foribus. Et nonnulla præterea. Augustinus ergo duobus locis manifeste Angelum simpliciter nominatum, non alium quam Deum intelligit. Et quidem de posteriore, ex Geneseos 19. contra Frontonem, nec solus. Nam assentitur Athanasius Dialogo tertio de Trinitate. Fallit igitur Fontonis axioma.

XVII. Sed redeo ad Bellarminum, Iob. 5. *Voca si quis est, qui tibi respondeat & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Vbi nomine Sanctorum Angelos intelligit, vt exponit Augustinus annotationibus in Iob, qui etiam illud ex capite decimo nono. *Miseremini mei*, ad Angelos dici existimat.

XVIII. Respondeo locum esse incertum, ac varie cum olim, tum hodie expositum. Olympiodorus in Cathena, quam edidit, Latinamq; fecit Paulus Comitolus Iesuita, *Quid, inquit, præter dignitatem loqueris? idq; homo, quum sis? vsq; eo est enim homo inferior Deo, vt non solum, nec videre illũ, nec comprehendere queas: sed etiam vt nec à te millies inclamatus sit responsurus. Quid loquor Deum? quandoquidem nec eius Angeli nostrum possunt aspectum incurrere.* Philippus Presbyter, *Voca ergo, si potes inuenire, qui tibi aliter dicat, &, vt iuxta hanc visionem perspexi* (nimirum capite præcedenti Eliphas visionem sibi oblatam narrauerat) *ad aliquem te Sanctorum hominum vel Angelorum conuerte. Non enim quisquam eorum tibi aliter est dicturus: præsertim quum hic sensus meus sensibus eorum conueniat.* Nec ab istis longe abit is, quisquis est, autor annotationum in Iob, quæ Augustino tribuuntur. *Idcirco Angelos non audire, non videre potest stultus, qui ira interemptus est, & à zelo occisus.* Recentiores: Vatablus, minoribus annotationibus, *& ad quem Sanctorum subaudi Angelorum, te conuertes? qui te scilicet dignetur sua responsione: quasi dicat nullus est Angelorum, quamlibet paruus, qui non sit te superior, quiq; te dignetur alloqui. Ostendit hominem esse Angelis multo inferiorem, quanto magis Deo?* Mercerus, *Cohæret cum eo quod supra de Angelis dixerat. Nam per Sanctos, Angelos Dei hic intelligit, post nonnulla de hominum infima conditione interiecta, eodem rediens. Voca Angelorum aliquem, & eum inclama: an vero eorum vel minimus tibi respondebit? te suo sermone & alloquio dignabatur? nullum sane reperies. Vides quantum à Deo distes: cum ne Angeli quidem, longe Deo inferiores, te sint alloquuturi; si ad eos clames, ob distantiam quæ inter te est & illos. Alij ad Sanctos homines qui in terra sunt vel fuerunt, referunt, hoc sensu, Age vero, voca & profer sanctorum virorum aliquem, qui tibi respondeat, & tuam probet sententiam, tui similem, qui vel talia vnquam, & tam grauia patiatur, aut passus sit quam tu.*

XIX. Isti vero de Inuocatione, de Intercessione Angelorum cogitarunt nihil. Sed Gregorius, Lyranus, Dionysius Carthusianus, & reliqui Papistæ. Nonnihil etiam forte Polychronius in Cathena: nisi Comitolus in vertendo Iesuitica fide vsus sit, & *inuocaret*, dixerit pro *vocare*: qua de re nihil pronuncio, tantum suspicor; consuluisset ille melius suæ fidei, si Græcum contextum edidisset. Cæterum Polychronius videtur acedere ad Philippi sententiam, *Quod si recta ea esse putes quæ disseruisti, agesis, sententiæ tuæ comitem mihi profer aliquem. Sed nimirum ea vsus es orationis asperitate, vt nec Angeli conspectu dignandus sis, si eum inuocaris.* Certe *inuocare* (nisi sit pro simplici *vocare*) non videtur valde facere ad conspectum Angeli.

XX. Cæterum, id saltem obtinemus, hunc locum non esse necessario intelligendum primo de Angelis, quia potest etiam de hominibus Sanctis, & his quidem non defunctis tantum, sed etiam viuis. Secundo, etiam si de Angelis, vel Sanctis, tamen non de Inuocatione. Itaque infirmam esse Papistarum ex eo argumentationẽ. Iam vero, quæ tanta autoritas est in Gregorio, Lyrano, Dionysio, vt præponderent reliquis antiquioribus? Quibus etiam accedit Iudæorum consensus, vt Mercerus notat. Quanquam mirãdum sit, in tota Scriptura hunc vnicum extare locum de Inuocatione Angelorum: nullum etiam exemplum posse proferri ex tota Ecclesia Iudaica. Quod qui attente consideratit, facile inducet in animum, torqueri à Papistis verba Eliphazi. Itaque non tantum eam ob causam non persuadet locus iste; quam Bellarminus attigit, nempe, quod verba sint Eliphazi: sed etiam, quod verũ non sit, indicari consuetudinem inuocãdi patrocinium Angelorum. Multo audatius Eckij illud est, fuisse hoc à Iobo sanum amici consilium acceptatum, inuocandi scilicet Angelos. Quod vnde probabit?

XXI. De cap. 9. *Miseremini mei, amici mei*, vix necesse est dicere: quum à Bellarmino proferatur dicis causa. & tantum, quia autor annotationum in Iob, inter opera Augustini, iis censet verbis, Angelos videri postulare, vt pro eo deprecentur, aut Sanctos, vt pro pœnitente orent. Sed alij longe aliter, & quidem obseruato orationis contextu. In Cathena quam edidit Comitolus, *Postquam ab amicis, à cognatis, à filiis, ab vxore; necnon ab iis, quibus antea ipse prospiciebat ac prouidebat suam dixit despici calamitatem, nunc ab orationis consequutione nihil recedens, amicos, qui aderant, eiusque calamitates sine miseratione aliqua contuebantur, pene compellat his verbis, Si me iusta proferentem non veremini, saltem humanitatis miserationisq; sensum suscipite.* Nec aliter Philippus Presbyter. Gregorius, *Ecce, eos, à quibus se per contumelias affligi considerat, amicos vocat.* Atque ita omnino necesse est: nam statim sequitur, *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Neque enim Iobum Angeli persequebantur, sed præsentes amici suis importunis reprehensionibus irritabant.

CAP. III.

An Scriptura defunctos doceat inuocandos.

I. SAnctos defunctos inuocari debere disputant his è Scriptura argumentis. Exodi 32. *Recordare, Domine, Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* In quem locum Theodoretus, quæst. 66. in Exodum, dicit Sanctum Mosen, quum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium Patriarcharum.

II. Respondeo primo: Nullam hic esse formam, nullum exemplum sancti vllius inuocati, sed Dei solius, Et quamuis verũ esset, quod Papistæ contendunt, proponi Deo merita Patriarcharum: tamen id tantum concludi posset, orandum esse Deum per merita Sanctorum, quod pertinet ad quæstionem de vnico Mediatore, alias disputatam: non autem orandos esse ipsos Patriarchas, quã quæstionẽ nunc agitamus. Et qui citantur loci ex Augustino & Chrysostomo, ita intelligendi sunt: nihil n. habẽt de inuocatione.

III. Instat Bellarminus: Sanctos ante aduentum Christi, quum moriebantur, nõ esse ingressos in cœlum, nec Deum vidisse: nec ordinarie cognoscere potuisse preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum in Testamento Veteri, dici, Sancte Abraham, ora pro me. Sed solum oratum fuisse Deum, allegatis meritis Sanctorum, qui iam obierant, vt illis orationes iuuarentur.

IV. Respondeo, ergo plenam esse & perfectam solutionem nostram, cõstare enim non fuisse inuocatos: imo ne potuisse quidem inuocari Sanctos vita functos, nisi suis placitis renuncient Papistę. Itaque iam nos securos negare posse consequentiam, ab eo loco ad inuocationem Sanctorum. Quanquam illud de ingressu in cœlum commentum est, de quo suo loco, si Deus dederit, disputaturi sumus. Illud verius, non posse Sanctos post hanc vitam ordinarie cognoscere preces viuentium. Quæ si causa fuit legitima non inuocandi Patriarchas: eadem legitima erit non inuocandi Sanctos: Nam ne hodie quidem Sancti denati, scire possunt ordinarie preces nostras, quod latius exsequuti sumus lib. 4. huius tomi.

V. Secundo respondeo, non orari Deum per merita Patriarcharum, sed orari per fœdus ab eo initum cum Patriarchis, id est, per gratiam suam, & misericordiã eius: Id patet ex ipso loco, *Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temeipsum, dicens, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli.* Cui loco similis Psalm. 32. vbi rogatur Deus, *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.* Est statim, *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Sunt & alij Quin ipse Deus viam præiuerat. Exodi 6. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non indicaui eis, pepigiq; fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegyptii oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei.* Leuitici 26. *Tunc orabunt pro impietatibus suis, & recordabor fœderis mei quod pepigi cum Iacobo, Isaac, & Abraham.*

VI. Instat Bellarminus, negans hanc solutionẽ satisfacere, quia & pactũ Dei, & iustitia Sanctorũ simul commemorabantur, vt Psalm. 132. *Memento Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius* Et post, *Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.* Quæ verba sunt Salomonis orantis per merita Dauidis iam defuncti: & prioris Regum 15. *Propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum: eo quod fecisset Dauid rectum in oculis Domini.* Danielis 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Et Moses Exodi 34. Hieremias 32. cum orabant Deum, initio dicere solebant, *Deus qui facis misericordiam in millibus his qui diligunt te*, id est, qui propter iustitiam patrum misereris sæpe filiorum, & id erat implorare merita Veterum iustorum. Vnde beatus Augustinus q. 149. in Exodem, *Admonemur, cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis posse, quos Deus diligit.* Quod etiam Chrysostomus docet Homilia 42. in Genesin, & 27. in Matth.

VII. Respondeo in hoc argumento, duo aduersariis esse supponenda, vnum, iustitiam Deo proponi defunctorum, alterum proponi pro aliis. His notatis, ad locos citatos dico, primum in Psalmo centesimo trigesimo secundo nullam iustitiam proponi Deo, sed tantum Dauidis afflictionem. Nam quid tum, si *mansuetudinem* Latina editio habet? At Propheta ipse *afflictionem* dixit. *Memento Domine Dauidis, omnis afflictionis eius.* Itaque hic locus nihil ad rem, falsumque orari à Salomone Deum per merita patris suis: quod Bellarminus affirmauit. Locus etiam ex Danielis tertio, describit tantum Abrahamum, dilectum Dei: Isaacum seruum Dei: Israelem sanctum Dei: At id meritorum nullam significationem habet. Quanquam hic locus sit Apocryphus ex Cantico trium adolescentium in fornacem coniectorum.

VIII. Locus ex 15. cap. prioris Regum, explicatur facile ex ea formula, *Deus qui facis misericordiam in millibus, his qui diligunt te.* Vnde satis constat, dilectionem illam non tanquam meritum proferri, sed tanquam differentiam. Vt sensus sit à Deo misericordiam fieri, non omnibus, sed iis tantum à quibus diligitur, iis tamen ipsis facere misericordiam, itaque non meritis retribuere. Sed hoc alterius est loci. Interea hæc ipsa formula, non est meritorum iactatio, sed pacti commemoratio, quod nos contendimus. Itaque locus ille, in quo asseritur, propter Dauidem Deus constituisse hæredem Abiamo impio, nihil habet difficultatis, significat enim Dauidem eiusmodi hominem pium fuisse Deique amantem, ad quem pertineret fœdus illud quod propter filios nequam Deus irritum non faciat, itaque hæc nulla est aut Dauidis intercessio pro Abiamo, aut cuiusquam inuocatio Dauidis.

IX. Denique Theodoreti quæstio sexagesima sexta, qua fronte proferatur non facile est diuinare. Nam neq; in ea quicquam est eiusmodi, neque in proxima, quę ambæ ad eundem locũ pertinent. In illa hoc duntaxat, *Clementiam diuinam obsecrauit, ne pœnas daret* (Aaron) *quod perdiuinus Moses in Deuteronomio patefecit, Deprecatus sum enim*, inquit, *Dominum pro Aarone fratre meo, & non est mortuus:* neque quicquam addit præterea. In 37. *Moses, quamuis hæc Deus sufficere dixisset, quantum ad legationem pro populo obeundam non tamen se idoneum existimauit ad placandam iram Dei, sed preces etiam obtulit, faciens Patriarcharum mentionem, & iurisiurandi illius præstiti, & ne pacta dirimerentur, supplicaui.* Nec plura. Vbi ergo illud Bellarmini, adhibuisse patrocinium Patriarcharum? Vbi hoc, inquam, in quo quæstionis nodus est? Nam Theodoretus sane ad nos accedit, qui asserimus hac formula in memoriam reuocari fœdus initum cum Patriarchis.

X. Rursus citant ex quadragesimo octauo Genesis, *Inuocetur nomen meum super pueros hos, & nomina Patrum meorum.* Obseruandum, inquit Alphonsus de Castro, quod Iacob præcipit inuocari super filios Ioseph nomina Patrum iam defunctorum, quoniam etsi mortui sint corpore & mundo, tamen viuunt coram Deo. Et ex hoc loco inquit Bellarminus, cap. 20. de Sanctis, Augustinus libro Loquutionum de Genesi, docet inuocationem non solum Dei, sed etiam hominum esse.

XI. Respondeo, primo ad Augustinum; nihil esse momenti in eius verbis, non tantum, quia ex vitiosæ versionis occasione, sed etiam, quia non expressit

expressit quo sensu hominum inuocationem intelligeret. Nam inuocari homines, vt & colis, nemo dubitauit. Sed ab initio testati sumus nos agere de Inuocatione religiosa, siue de precibus religiosis. Potuit autem facile Augustinus, eodem modo hic obseruare, non Deum tantum inuocari, sed etiam homines, quomodo alias vidimus obseruasse non Deum tantum, sed etiam homines adorari. Quare possumus cum bona Bellarmini venia Augustini locum præterire.

XII. Sed locus ex Geneseos quadragesimo octauo, immane quam sit detortus. Nam eo significatur adoptatio duorum filiorum Iosephi Ephraim & Manasse; qui censendi erant eodem loco, quo reliqui naturales Iacobi filij, quasi non eos Iosephus genuisset. Itaque inuocetur super eos nomen meum, idem est ac si diceret, appellentur de nomine meo, quomodo Esaiæ quarto, *Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* Hoc est, inquit Arias Montanus in Idiotismis Hebraicis, *Dicamur vxores tuæ*, nec aliter Lyranus. Cyrillus: *Nomine tuo vocemur.* Similiter hoc Geneseos loco Lyranus. *Quia vocati sunt filii adoptiui Iacob, & facti sunt capita duarum tribuum.* Vatablus. *Dicantur posthac filii mei, & filii Abraha & Isaac.* Mercerus. *Vocentur de nomine meo & patrum meorum, dicantur filii, & patrum meorum, non tui filii.* Nec Iudæi aliter. Et sane miror Bellarminum, qui paulo ante confessus est Patriarchas non esse solitos inuocari, quia non essent admissi in cœlos, nec possent ordinarie intelligere orationes supplicantium, tam subito mutatum, nobis Iacobum haud aliter pinxisse, quam Legendarij solent suorum Sanctorum nonnullos morti proximos, desiderio sollicitatos, vt in posterum à Christianis inuocarentur. Apud Petrum de Natalibus in Sanctis nuperrime canonizatis, Rochus, *Dominum orans, vt inuocantes nomen suum à sæuissima pestilentia protegerentur, in pace obdormiuit.* Et in Legenda aurea Margareta, *pro se & suis persecutoribus, nec non & pro eius memoriam agentibus, & se inuocantibus deuote orauit, addens, vt quæcunque in partu periclitans se inuocaret, illa sam prolem emitteret.*

XIII. Citat Eckius ex Psalm. 32. *Pro hoc orabit ad te omnis sanctus tempore opportuno.* Et Hebræi, inquit, legunt, *omnis misericors*: beati autem sunt sancti & misericordes.

XIV. At primo nihil iis verbis Propheta de inuocandis Sanctis, tantum enim Deum inuocari docet à Sanctis, quod quis reuocat in dubium? Secundo, cur *pro hoc*, legit Eckius? Nam vulgata versio habet *pro hac*, & sic veritas Hebraica ad verbum: & phrasis significat *propterea*, siue *ob eam causam.* Sancti autem siue misericordes, sunt fideles dum sunt in viuis. Rickel, *Pro hac re, id est, pro remissione peccati, orabit ad te omnis Sanctus, id est, omnis viator quantumcunque perfectus.* Euthymius, *Id est, ab hac iniquitate mihi remissa pius ac religiosus vir quilibet instinctus rogabit te. Vbi enim innotuerit remissum mihi esse peccatum, statim vt confessus sum, imitabuntur me deinceps pii omnes.* Remigius, *Omnis Sanctus, id est omnis qui vult fieri Sanctus. Nullus enim sanctificabitur, nisi cui tu dimiseris peccata.*

CAP. IV.

De inuocandis viuis, & de miraculis.

I. NEc habent, quod sciam, plura Scripturarum testimonia. Sed præterea argutiolas? Bellarminus. In vtroque testamento sæpe legimus viuentes à viuentibus inuocatos. Prioris Samuelis, capite septimo, dicunt filij Israel ad Samuelem, *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum.* Iob vltimo, *Ite ad seruum meum Iob, ille orabit pro vobis.* Ad Romanos decimo quinto, *Obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Item ad Ephesios sexto, prioris ad Thessalonicenses septimo, posterioris tertio. Quarto, ad Colossenses, decimo tertio ad Hebræos. Ergo licebit etiam inuocare eosdem Sanctos cum Christo regnantes. Et confirmat consequentiam. Si enim non licet, vel quia nolunt, vel quia non possunt, vel quia nesciant, quod oremus: vel quia iniuriosum sit Deo. At non primum, quia maiori nunc sunt charitate præditi, quam antea. Non secundum, quia si poterant, cum essent peregrini, quanto magis nunc in patria? Non tertium, quia vnde Angeli sciunt conuersionem peccatorum; inde Sancti sciunt viuentium preces. Non quartum, quia si iniuria fiat Deo aut Christo, quum alius inuocatur: Ergo non liceret viuentes inuocare.

II. Respondeo, inuocationem aliam esse religiosam, aliam ciuilem. Illam, quæ fit precibus sacris, siue, vt Augustinus loquebatur, ritibus religiosis. Hanc quæ ex solo charitatis vinculo, quum alii alios rogamus, alij ab aliis postulamus quippiam, ita mutuum societatis commercium exercentes, vt Iudicum vigesimo septimo, *Rogantibus, vt acciperent non dedistis.* Ruth secundo: *Rogauit vt spicas colligeret remanentes.* Ad Philippenses 4. *Rogo & te Germane compar, adiuua illas.* Et alias sæpissime. Nil enim est in vita hominum frequentius, hoc commercio, rogandi, petendi, postulandi, orandi.

III. Itaque si inuocatio intelligatur religiosa, negatur antecedens, id est, vnquam à piis viuentibus religiosæ preces oblatas esse cuiquam viuentium. Nam preces religiosæ, sunt adoratio religiosa. At nunquam adoratus est quisquam viuentium adoratione religiosa: nam ne mortuorum quidem; imo neque Angelorum, vt disputatum est libro præcedente: Ergo neque cuiquam oblatæ preces religiosæ. Nec loci citati contra euincunt. Nam in primo Samuel rogatur à populo, tanquam Sacerdos. Nunquam autem auditum est Sacerdotem inuocatum fuisse religiose, sed tantum aditum ab iis eius ministerio indigebant. Atque adeo hoc ipso loco, non dicuntur inuocasse, aut orasse Samuelem Israelitæ, sed tantum dixisse ei, *Dixeruntque ad Samuelem, ne cesses pro nobis clamare.* Quis autem est, qui inde extundat inuocatum fuisse Samuelem? In Iobo, *Ite ad seruum meum Iob*: non autem, Inuocate seruum meum Iob. Nisi forte cum Christus Matth. 8. dixit: *Abi, ostende te Sacerdoti*, credimus iussisse vt inuocaretur ille Sacerdos. De Paulo facilius est negotium. Nam quis credat inuocatos ab eo fuisse Romanos, Ephesios, Thessalonicenses, Colossenses, Hebræos? Atqui inuocatio religiosa est adoratio, adoratio autem est ipsis Papistis definientibus, agnitio superioritatis. Nulla autem parte erant illi superiores Paulo. Itaque non sunt adorati, ac proinde neque inuocati religiose.

IV. Sin autem inuocatio ciuilis in antecedente ponitur; vt est necesse, conceditur inuocari viuentes à viuentibus, quanquam id vocabuli, iampridem fere, vt adorare, sacratum est religioni. Sed si intelligitur, inquam, inuocatio ciuilis; negatur consequentia, siue ea loquatur de inuocatione ciuili, siue de religiosa. Nam de religiosa quidem manifesta res est. Nemo enim tam sensu communi vacuus inuenietur, cui hoc placeat axioma: Omnes, qui ciuiliter inuocantur; posse etiam religiose inuocari. Nam ciuiliter inuocari possunt, primo minores à maioribus, vt diximus sic inuocatos à Paulo Romanos, Colossenses, & reliquos: Imo à Christo certum est inuocatam ciuiliter Samaritanam. Ioannis quarto. *Dici ei Iesus, Da mihi potum.* Et illa subiungens: *Quomodo tu Iudæus cum sis, potum à me poscis?* Secundo, inuocati possunt ciuiliter etiam impij. Lucæ decimo octauo, *Iudex quidam erat in quadam vrbe, qui Deum non timebat, nec quemquam reuerebatur: Erat autem in illa vrbe quædam vidua, quæ venit ad eum, dicens, Vindica me ab aduersario meo.*

V. De ciuili autem, non maior est difficultas. Nam neque quisquam sanus asseret, eos, qui in vita ciuiliter adorantur, adorari etiam ciuiliter post mortem. Nam ratio est manifesta: quia ea ciuilis inuocatio, non tantum fit, ad honorandum eum qui inuocatur, sed etiam ad conseruandum illud quod diximus, mutuæ societatis commercium; quod iam nullum nobis est cum mortuis; quos Deus subduxit negotiis huius vitæ. Itaque quanquam ab iudice illo iniquo mulier illa postularet se vindicari: tamen nemo vnquam ita iudicem vllum post mortem rogauit. Et quanquam Israelitæ viuenti Samueli dicerent. Ne cesses clamare pro nobis, tamen nunquam idem mortuo dictum est.

VI. Ad confirmationem respondeo: Si de religiosa inuocatione loquaris; primum nolle Sanctos sic inuocari, etsi maiori præditi sint charitate, quia nemo propter charitatem sic inuocatur, sed propter omnipotentiam. Secundo, non posse sic inuocari, absque impietate, quia non propter maiorem potentiam quisquam sic inuocatur, sed propter infinitam. Tertio, nescire quid oremus; vt probatum est libro quarto huius tomi. Quarto, iniuriosum esse Deo & Christo; quibus solis debetur inuocatio religiosa. In argumento autem: Ergo ne viui quidem inuocandi essent, conceditur consequentia de adoratione religiosa, negatur autem de adoratione ciuili. Legitime enim concluditur, Mortui non debent inuocari religiose: Ergo neque viui. At vitiosissime: Mortui non sunt inuocandi ciuiliter: Ergo neque viui.

VII. Iam vero si de Ciuili inuocatione sermo est, negamus Sanctos primum velle sic inuocari, quia quæ sunt supra sortem suam, sine dubio illi nolunt. Secundo, non posse, & ideo non posse quia, tertio, nesciunt se à nobis inuocari, nullum habentes nobiscum ciuile commercium. Nam ciuiles huiusmodi preces, vel præsentibus fiunt, vel absentibus quidem, sed vel per literas, vel per nuncios. Sancti autem neque præsentes sunt nobis, in hac vita constitutis. Neque per literas, aut nuncios à nobis moneri possunt: itaque nullo ciuili modo rogari queunt.

VIII. Aliud argumentum habent Papistæ, à miraculis infinitis, quibus Sancti testati sunt, se audire preces viuentium, & posse ac velle eos iuuari Cuiusmodi miracula leguntur in Epistola Nili, quæ recitatur in Synodo Nicena secunda, actione 4. & apud Theodoretum in historia libri 5. capite vigesimo quarto, & libro octauo ad Græcos: Ambrosium sermone 90. de Sancta Agnete: Augustinum libro 22. de Ciuitate Dei, capite octauo: Gregorium Turonensem in libris de Gloria Martyrum, & Confessorum. Gregorium Romanum libro 3. Dialogorum. Bonauenturam in vita Francisci.

IX. Respondeo, primo hanc probationem à miraculis per se nullam esse, hoc est, nisi res ipsa alias constet è Scripturis. Primo, quia ipsa per se nihil docent, sed per accidens. Itaque facile possunt in varios vsus ab hominibus transferri. Sic Actorum 3. Iudæi cum claudum viderent sanatum, toti hærebant Petro & Ioanni, ideoque reprehensi: *Quid intentos oculos in nos habetis, quasi propria vi aut pietate effecerimus, vt hic ambularet?* Similiter Actorum 14. Lystrenses Paulo sacrificaturi erant ob simile miraculum. Itaque nesciebant aut Iudæi, aut Lystrenses, ea miracula eum in finem facta, vt crederent in Christum, nisi ab Apostolis moniti fuissent. Similiter ergo facile possunt miracula à suo fine in alienum detorqueri, ab iis qui sibi persuadent Sanctos inuocandos. Vt autem certum quid inde concludatur, oportet idipsum constare ex Scripturis. At vero Sanctorum inuocatio, nullis omnino scripturis nititur, quin potius ab iisdem refutatur. Ita frustra miracula decantantur.

X. Secundo, miraculorum fingendorum vix vllus est modus, & in iis multi semper fuere ij qui in idololatriam, aut certe in superstitionem proni fuere. Sic Gregorius ille Romanus, ridicula multa, & vix fungis digna, colligit. Itaque à Cano libr. 11. locorum cap. 6. inter eos scriptores numeratur, qui indulserunt ingeniorum suorum voluptati, imo & vulgo. Gregorium Turonensem Baronius anno 109. nimiæ simplicitatis arguit, multa facile admittentem. Et vero, vt plurima omittam, quantæ stupiditatis illud est de puteo in quo stella apparet, quæ Magis dux fuit, aut illud de sanguine Ioannis Baptistæ excepto à muliercula Galla? Bonauentura longe recentior, & ex Franciscanorum familia, quid mirum si totus ineptus est? Nemo enim nescit Franciscanos stupidissime in id intentos semper fuisse, vt suum Franciscum, Christo verbo quidem exæquarent, re ipsa præferrent, per omnes fere partes, in miraculis autem patrandis maxime. Ambrosij de Aguete sermonem cuius esset nescire se professus est Erasmus, sed ex appendice indicari artificē. Enimuerò hi flores. *Ornauit me inæstimabili dextrocherio: Sistè eam suis tribulationibus iussit. Scortaberis in contubernio lupanari. Apodixen tuæ artis magicæ demonstrare.* Enimuerò, inquam, hi flores Ambrosium redolent, an potius recentissimum impostorem?

XI. Tertio, nulla vnquam miracula facta sunt, vt cōfirmaretur Sanctorū inuocatio. Apparet ex Theodoreto, & Augustino. Et re vera Theodoretus priori loco visionē recitat oblatā Theodosio, quę ei victoriā pollicita est, à Ἥρων εἰκίσκον δίκτηριον ἐν τῇ τοῦ ὄρους ἀκρωτηρίᾳ, ἐν ᾧ τὸ σῶμα τοῦ Ἰωβ, πάν-

νυχος διετέλεσε τὸ τοῦ ὅλων δεσπότου αἰτιόμενος: quum reperisset adiculam precibus sacram, ad summum montis in quo castra erant, perpetem noctem egit obsecrans vniuersitatis dominum. Et contra Græcos lib. 8. etsi Sanctis multum virtutis tribuat; tamen eorum inuocandorum meminit nunquam. De 28. libro de Ciuitate Dei; possum ex Viue dicere, multum in eo lusisse sciolorum lasciuiam, aut potius superstitiosorum audaciam. Sed hoc potius, in eo toto ne literam quidem esse de inuocandis Sanctis. Nam quod legas sæpius, ad memoriam martyrum; ad martyres orasse; significat iuxta martyrum memoriam oratum fuisse Deum: non autem ipsos martyres. Nam alioquin quis in Augustino hanc ferret barbariem, orare ad martyres?

CAP. V.

De Veterum testimoniis pro inuocatione Sanctorum.

I. RESTant Veterum testimonia, in quibus multi sunt Papistæ: quæ, vt attetius considerentur distinguentur à nobis in ætates varias. Non enim in idem omnia consentire secula, docebit Peresius tertia parte de Traditionibus, quo loco de Inuocatione agit Sanctorum. Fatetur enim à tempore Cornelij, intercessiones Sanctorum scriptis fuisse commendatas, & à tempore Basilij inuocationes. Et causas addit modestiam & humilitatem Apostolicam. Quod omen à Catholicis facile admittitur; certe statuentibus tum proeul discessum fuisse ab ea modestia, eaque humilitate, cum induci cœptum est id dogma. *Quid dicerent*, inquit, *qui eos hæc docentes audirent, nisi quod de se magna præsumerent, & se quasi Deos facerent?* Optime: nam certe à creaturis auxilium in omnibus rebus exspectare; nihil aliud est, quam de creatura nimium præsumere. Et Sanctos eam ob causam religiose inuocare, id profecto est, Sanctos quasi Deos facere. Quod si non est, cur Apostolis vitio datum esset? Et si datum, quid de Papisticis illis sanctis cogitandum, qui morituri, pollicebantur sibi futurum vt à superstitibus inuocarentur? Sed notata obiter hac ingenua confessione, dico, certum esse primæ Ecclesiæ ætate, quam ego nunc equidem finio temporibus Nicæni Concilij primi, nihil auditum esse de inuocatione, aut Angelorum, aut Sanctorum. Quod vt fiat manifestum, examino testimonia, quæ à Papistis obiiciuntur.

II. Primum est ex Areopagita, c. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. *Nam profecto, idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui Sanctorum flagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit.*

III. Respondeo primo, non esse hunc autorem huius ætatis: Nam multis argumentis apparere posteriorem fuisse Nicæna Synodo, itaque suppositicium esse fœtum, qua de re alias fuse disputatum est. Secundo, hunc ipsum locum, nego pertinere ad præsentem controuersiam. Loquitur enim de precibus Sanctorum ad Deum pro aliis, non autem de precibus aliorum ad Sanctos. Nam de intercessione alias disputatum, quantum fuit satis. Nunc autem distincte de eorum inuocatione.

IV. Denique, ne de precibus quidem defunctorum sanctorum iste quisquis est Dionysius agit, sed tantum de precibus sanctorum viuentium pro viuentibus, proque defunctis. Agit enim toto capite de officio defunctorũ, id est, de ritu quo sepeliebantur sanctorum, id est, fidelium corpora. Tum enim concipi solitas preces, vt defuncto Deus peccata dimittat. *ἡ δίκη τῆς θεαρχικῆς ἀγαθότητος δεῖται, πάντα μὲν ἀφεῖναι τὰ δι' ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἡμαρτημένα τῷ κεκοιμημένῳ καθαπάξαι καὶ αὐτὸν εἰς φῶς καὶ χώρα ζώντων. Precatio postulat à diuina bonitate, vt defuncto dimittat quæcumque peccata fuere ex humana infirmitate, eumq; constituat in luce, & regione viuentium.* Quibus positis, proponit ipse sibi obiicientem quempiam, videri id absurdum, propterea q; vnusquisque accepturus sit prout gesserit in corpore, siue bene siue male. Itaque non videri, posse per preces iuuari. Ad hęc ille respondet, iustorum preces, neq; in hac, neq; in altera vita prodesse cuiquã, nisi digno. Locus totus ita est, *ὅπου καὶ τῶν δικαίων αἱ προσευχαὶ κατὰ τὸν τῆδε βίον, μήπω γε μετὰ θάνατον, εἰς οὓς ἀξίους ἱερῶν αἰχῶν ἐνεργοῦσι μόνον· αἱ τῶν λόγων ἡμᾶς διδάσκουσιν ἀληθεῖς προσῳδίας. Preces Sanctorum pro iis qui in hac vita, ne dicam post mortem, solis iis prodesse qui digni sunt sacris precibus, decent nos veræ traditiones oraculorum.* Et citat statim Samuelem pro Saule frustra precantem, prophetas alios pro populo. Ac tum subnectit locum à Bellarmino iam prolatum *καὶ γὰρ ὡς εἴ τις ἡλίου τὴν οἰκείαν δωρεμένου φῶτα τοῖς ἀδυνάσι βλέπειν ὀφθαλμοῖς, εἰ μετουσίας τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς αἰτοῖ γενέσθαι τὰς οἰκείας ὄψεις ἐξαφανίζων. ὅτι τοῖς ἀδυνάτοις ἤρτηται καὶ εὐελπίδας ἐλπίδας, ὁ τὰς τῶν ἁγίων ἐξαιτῶν προσευχὰς, καὶ τὰς κατ' φύσιν αὐτῶν ἱερὰς ἐνεργείας ἐλαύνων ἀπροσδέκτους τῶν θείων δώρων, καὶ τῶν φαιδρῶν καὶ ἀγαθοδοτίδων ἐντολῶν ἀποφοιτήσει. Nam, quemadmodũ si quis luminis cœlestis velit fieri particeps, excauatis sibi oculis, quũ tamen Sol suos radios communicet integris oculis, sic frustra sperat, qui sanctorum preces postulant, earum vero naturalem efficientiam cohibet, dum diuina dona negligit. & discedit à lucidissimis, & beneficis mandatis.* Obiectio erat, non precandum pro defunctis, quia ij recepturi iuxta ea quæ gesserint viuentes. Responsio, eandem ob causam non fore precandum pro viuis. Aut si ea ratio nihil obstat quominus pro viuis, ne quidem obstabit quominus pro mortuis.

V. Manifestum igitur quid sibi Dionysius velit: nempe viuentium preces siue pro defunctis, siue pro viuis, non esse efficaces, nisi in iis qui digni sunt. Itaq; hęc verba *αἱ προσευχαὶ κατ' τὴνδε βίον, μήπω γε μετὰ θάνατον*; non bene Perionius vertit *iustorum bonorumq; preces in hac vita, nedum post mortem:* debuit potius, preces, quas iusti fundunt pro iis qui in hac vita sunt, & qui in altera. Argumentũ geminum: tum à serie totius disputationis, quæ erat de precibus sacerdotum, in sepultura mortuorum: Tum maxime, quia absurdum sit imaginari sanctos cœlites specialiter orare pro indignis. Adde tertium ab inconsequentia: Inepte enim dicat quis, Sanctorum preces viuentium non sunt efficaces, ergo multo minus Sanctorum post mortẽ. Possumus & quartum, quia si de Sanctis intelligas post suam mortem precantibus: Ergo non soluerit Dionysius obiectionem, quæ erat de iis mortuis, pro quibus preces fiebant. Itaque certissimum est Dionysium non agere de precibus Sanctorum defunctorum: multo minus de precibus ad Sanctos defunctos.

VI. De Virgine aduocata apud Irenæum, vide quæ scripsimus libro huius tomi 9. cap. 5. Et adde, non tamen ab Irenæo vsquam doceri Mariam ab Eua, aut quocumque alio fuisse inuocatam.

VII. Venio ad Eusebium: cuius caput septimum lib. 13. de Præparatione, ita citant Bellarminus, & Richeomus. *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus tanquam viri sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.*

VIII. Portentosum crimen! Non Bellarmini quidem & Richeomi: etsi, eorum etiam, qui sibi ab audaci interprete Latino tam fœde passi sunt verba dari, in tanta Græcorum exemplarium copia, tum editorum vbiq;, tum Romę manuscriptorum. Sed portentosum tamen Georgij Trapezuntij crimẽ; qui Greça fide, præclarum hoc de Euangelica præparatione opus misere lacerans, sine dubio male meritus est de Ecclesia. Hoc certe loco immane quã procul discesserit ab Eusebio, inflectens verba ad præsentem Ecclesiæ Romanæ sensum Nam Eusebius; postquam ex Platone docuit viros virtute insignes esse post mortem honorandos: *καὶ τοῦτο μὲν ἁρμόζει ἐπὶ τῶν θεοφιλῶν πολιτῶν, οὓς ἐρωτῶντος τοῦ ἀληθοῦς δικαιοσύνης οὐκ αὐ ἁμάρτοις εἰπὼν τοῦ φιλαμβοῦντος. ὅθεν καὶ ἐπὶ τοὺς θνητοὺς αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παρεῖναι, καὶ τοὺς δικαίους τοῦ τοιούτους ποιοῦντας, πρᾶξίν τε τοῦ μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς δίκαιόν καὶ τέτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων. Et hæc quidem ad obitum piorum, accommodari possunt quos vere pietatis milites si dicas, non aberres. Itaq; ad eorum monumenta accedere solemus, ad eaq; preces facere; honorareq; eorum beatas animas certi id à nobis recte fieri.* Hæc Eusebius: hæc tu cum Trapezuntianis compara; & mirare distantiam. *Illis*, inquit, *vota facimus*, scilicet militibus pietatis. At Eusebius, *ad eorum monumenta preces facimus*, nihil-ne interest? Nam solebant Christiani ad martyrum thecas Deum precari, ipsos autem martyres precari non solebant. Rursus; *quorum intercessione apud Deum non parum iuuari profitemur.* At Græce hæc nulla sunt. En Græculi homines Græcam fidem. En Papistarum solertiam!

IX. Ad eandem pertinet ætatem Cornelius; ex cuius Epistolar. quæ fertur de Translatione corporum Petri & Pauli; Bellarminus recitat *orantes Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus suis Apostolis maculas nostrorum purget peccatorum.*

X. Respondeo, primo nihil hic de inuocatis Sanctis, sed tantum de intercessione. Secundo Epistolam esse suppositam: Argumenta. Primo, scripta dicitur Decio & Maximo Consulibus; qui nulli fuerunt sedente Cornelio: nam hic electus anno ducentesimo quinquagesimo quarto, si Baronio credimus, Decio & Grato consulibus; sequenti passus est sub Gallo & Volusiano. Secundo, habet, Nouatum Episcopos creasse Romæ Nouatianum; quod verum est, sed & in Aphrica Nicostratum, quod falsum: Nam Nicostratum Cornelius Nouato Roma redeunti in Africam comitem addidit: & Cyprianus nusquam queritur à Nouato ordinatum quemquam præter vnum Diaconum. Tertio, illud ipsum de Translatione corporum mera est fabula, nec sane locum reperit in annalibus Baronij: & Anastasius testatur Petrum sepultum iuxta locum vbi passus erat, quo eum iste Cornelius translatum vult, cum prius sepultus esset vna cum Paulo. Adde stylum, omnino diuersum à stylo literarum Cornelij, quæ exstant inter Epistolas Cypriani, & mirabere, si quisquam sanus possit non olfacere impostura.

XI. Athanasius claudit hanc ætatem. Citat Bellarminus ex libro de Sanctissima Deipara, siue de Annunciatione *Inclina aurem tuam, Maria, in preces nostras: & ne obliuiscaris populi tui.* Item. *Ad te clamamus: recordare nostri Sanctissima Virgo.* Item. *Intercede hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis.*

XII. Sed hic etiam Athanasius est suppositicius. Testatur Baronius anno quadragesimo octauo, §. 19. & 20. imo serio disputat vixisse post Nestorij tempora, & quidem vigentibus Monothelitis, argumento non inutili, qui tum Nestorianam, tum Monotheliticam hæresin ex professo refutet: & quidem non quomodo fit aliquando tractata generaliter doctrina, sed diserte indicans tum exstare hæreticos, qui eos errores profiterentur. Addit sibi Baronius socium Antonium quendam Agnellum, cui pro Argumento est ineptissima *τοῦ οὐσίας καὶ τοῦ ὑποστάσεως* etymologiam. Nam *οὐσίαν* deducit *ἀπὸ τοῦ ἶσον. Ἐκ τῆς ἀναγωγῆς*, inquit, *τοῦ ἶσον ἰσία, λέγεται. καὶ ἐπείπερ ἰσία λέγεται κατ' ἐτυμολογίαν, τροπῇ τοῦ ι εἰς ο, καὶ πλεονασμῷ τοῦ υ στοιχείου, οὐσία διεμολογεῖτο*: Audistin' Apollinem ex tripode? Quid de hypostasi? *ὑπόστασις ἐστὶν ὁ ὑός, ὡς ὑπὸ τὸν πατέρα τάσιν ἔχων.* Satin' Theologice, vt grammaticam missam faciam? Quid ergo? Nimirum illud Baronij eadem in disputatione nobis oraculum esto. *Existimamus Catholicam veritatem labefactari potius, quam hisce falsis allegationibus adiuuari.* eodem anno, §. 23.

XIII. Athanasio antiquior Origenes. Eius nomine Coccius, Thesauri lib. 5. articul. 6. profert primo ex Lamentationibus. *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari vniuersos sanctos, vt mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant. O sancti Dei, vos lacrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis misericordiis eius pro me misero. Heu mihi pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis aliener, quos valde cupiui, nec condigne quidem propter ingens peccatum meum.* Item ex lib. 2. in Iob. *O beate Iob viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu regis Domini ora pro nobis miseris.*

XIV. Sed Origenis non fuit, quam Athanasij, aut Cornelij sors melior: neq; ab eius nomine impostores abstinuerunt. Lamentũ Origenis iampridẽ Erasmus ostendit figmentum esse alicuius indocti, qui studuerit huiusmodi colore Origenẽ infamare. Et quis non miretur? imo quis nõ potius indignetur in taoto luctu, tam seria pœnitentia, nusquam nominari Christũ intercessorem? Nusquã Christi preces: nusquã Christi merita? Cum tamen à Sanctis initium sit, in Sanctos finis? Hoccine dignum Christiano? Hoccine illo dignum seculo, quo, teste Peresio, nulla mentio erat intercessionis Sanctorum: nulla inuocationis? Adde Gelasium, qui apud Gratianum, dist. 15 librum de Pœnitentia Origenis inter Apocrypha numerat, quæ Catholicis vitanda sunt. De Libris eidem adscriptis in Iobum, consentiunt Erasmus, & Sixtus Senensis, Origenis non esse. Argumenta, cum à stylo, alienissimo ab Origene, tum à rebus Lucianum martyrem laudat, Manichæos nominat & refellit, qui longe post Origenis tempora extitere Homousion, & homousianos perstringit, vnde agnoscitur fuisse autor Arianus. His laruis Catholicum quemquam moueri iniquum esset.

XV. Itaque

XV. Itaque omnino nullo certo testimonio probare quisquam potest annis post Christum trecentis vlla fuisse inuocationis Sanctorum vestigia. Magno veritatis compendio. Nam quis credat ab ipso Ecclesiæ initio tantam rem ignoratam? Aut si non ignoratam, saltem non traditam ab Apostolis? non conseruatam ab Apostolicis viris? Nam quod Peresius causatur, veritos, ne putarentur de se nimium præsumere, & sese quasi Deos facere ineptissimum, Nam primò, quid interest, vtrum se ipsi quasi Deos faciant, an ab aliis fiant? Quasi vero eo minor fuerit Romulum idololatria, quod ipse se Deum fecerit, sed Senatus consecrarit. Deinde, nunquam tanti fuerunt apud Apostolos humanæ suspiciones, vt propterea abstinuerint à prædicanda veritate. Itaque etsi Christus esset homo verus: ideo videri posset ad Ethnicos aliquantulum accedere, qui eum diceret Deum: tamen non destiterunt inculcare Christum esse vere Deum. Quid? ipsum Trinitatis dogma, nonne videri poterat accedere ad πολυθεΐαν? Et pater & filius, nihil-ne habere videbantur cum Ioue & Mercurio? Sed quia re vera nihil erat aut Incarnationi Filij, aut Trinitati personarum, aut Generationi Filij, commune cum Ethnicis fabulis: eam ob causam Apostoli instabant iis docendis, inculcandisque nihil veriti vanorum hominum rumusculos. Similiter, si dogma fuisset Christianum inuocari mortuos; absque vllo dubio numquam Stephanum omisissent: aut si in eo nonnihil essent veriti; quid poterant in Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauide, reliquis ad Vetus Testamentum pertinentibus? Denique solenne est Pauli mandatum: posterioris ad Timotheum 4. *Prædica sermonem, insta tempestiue, & intempestiue.*

XVI. Multo ridiculum magis: Expectabant (inquit Peresius) circa hæc apertam Dei voluntatem, frequentiam miraculorum non multo post declaratam: quam forte Deus vsque ad illa tempora distulit manifestare, in quibus post explosam idololatriam, hæretici erant qui carnis resurrectionem negabant, quo magis fides resurrectionis adstrueretur: cum viderent ab ipso tanti fieri cineres suorum sanctorum, vt dæmonia & infirmitates per intercessionem eorum expelleret. Ethuius ratiunculæ fundamentum si exigas, en tibi: Nec enim omnia simul omnibus voluit Deus esse manifesta: nec cuncta dogmata statim prædicarunt & docuerunt Apostoli, sed paulatim, & successiue.

XVII. Eugerem acu. Ergo Marcionem liberanda veritas exspectabat: & penitius arcana diuina nouit Gregorius Romanus; quam Paulus Tarsensis. Fabulæ. Sed nimirũ ita opus est, eos, qui tam procul ab Apostolis deerrarunt, in accusationem conuerti ipsorum Apostolorum. Confirmanda erat mortuorum resurrectio. Intelligo, & hunc eundem fontem video fabulæ de septem dormientibus. Sed quando, & quibus confirmanda? Cypriani-ne tempore, an Basilij? Cur tum temporis duntaxat? cur non ante? Nam dubitatum fuisse de eo ipso dogmate Apostolorum temporibus quis nescit; nisi quibus nunquam lectum 15 caput prioris ad Corinthios: nunquam auditi Hymenæus & Philetus, ex 2. posterioris ad Timothæum: nunquam Athenienses Philosophi ex Actorum 17. aut denique Ethnici ex Athenagoræ oratione. Aut quid erat denique opus istoc probationis genere: post testimonia Scripturæ: post adeo solidam Apostoli disputationem? Denique nemo vnquam inuentus est omnium Christianorum, qui ex mortuorum siue inuocatione siue intercessione, resurrectionem eueret.

XVIII. Longe illud falsissimum, non omnia simul omnibus fuisse manifestata, nisi forte de indiuiduis hominibus intelligatur, quorum singuli per momenta, gradusque promouentur à paruis initiis ad maiorem cognitionem. Sed nobis sermo de integris Ecclesiis: imo de omnibus. Atqui integras Ecclesias singulas Paulus profitetur se docuisse omnia, Actorum 20. Et Tertullianus, *Felix Ecclesia* exclamat, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Quis audet ergo negare omnia omnibus tradita? Quanquam si non simul & semel, sed saltem paulatim: & successiue Apostoli tradiderunt, dummodo ipsi Apostoli tradiderint, nihil interest. Nam intra annos centum seriem illam totam contineri oportet. Nullus enim, opinor, Apostolorum tandiu superstes fuit. Itaque si omnia Apostoli tradiderunt, siue semel, siue successiue, non tradiderunt autem intercessionem inuocationemve Sanctorum, has oportet non esse intra doctrinã Christianã: quod nos quidem confectum, demonstratumq; volumus.

XIX. Longe plura Papistæ citant ex Patribus succedentibus primo Concilio Nicæno. Ac sane erupit primo in Ecclesiam opinio de precibus apud Deum defunctorum martyrum, viresque acquisiuit eundo: Tandem etiam inde nata ipsa martyrum inuocatio: sed sero tamen seria. Itaque ne hæc quidem ætas, siue distinctione, aut nominanda, aut admittenda. Certe tempora Nicænæ Synodi secundæ, in qua confirmata est Iconolatria, quæque eam præcesserunt proxima; inflatis iam buccis inuocationem Sanctorum crepuerunt. Quorum autoritate qui commouebitur, næ ille prodet cerebri infirmitatem. Catholici certe omnes susque deque habebunt. Quid enim momenti in rebus fidei merentur, qui tam procul à fide recesserunt ad creaturarum adorationem?

XX. Reliqui, qui proximi primis, purissimi, adeo manifesto obseruabit prius & diligens lector, quotidie magis ac magis inclinatam rem Christianam. Et eos, qui quarto vixere seculo, quintoque tum paucos huc, tum leuiter declinasse, at deinceps toto, vt ita dicam, pondere prorumpisse: vnde à Peresio animaduersum, cœpram Sanctorum inuocationem nominari circa Basilij tempora. Porro, quis nescit in Ecclesia prima tempora postremis præiudicare, non contra? Nisi forte retractent Papistæ, non tantum illud Tertulliani, posteritatem mendacio deputandam, sed etiam illud Christi, *ab initio non erat sic.*

XXI. Quarti sunt & quinti seculi Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Nyssenus, Ephrem, Cyrillus, Theodoretus, Græci: Latini Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Rufinus, Paulinus, Prudentius, Augustinus, Fulgentius, Leo Magnus: & pauci præterea. Ex his pauci citantur loci, & quidem nonulli suppositi, nonnulli detorti, alij vt se habent. Laurentium ab Augustino inuocatum legis, sed in sermonibus de Sanctis: Mariam item: sed in Meditationibus, quæ opera nemo sanus adscribit Augustino.

XXII. Ex Basilij homilia in quadraginta Martyres. *Qui aliqua premitur angustia ad hos confugiat: qui rursum lætatur, hos oret, ille, vt à malis liberetur, hic, vt duret in rebus lætis.* Falso. Nam Græcè. ὁ θλιβόμενος ἐπὶ τοὺς πεντηκοντα καταφεύγει, ὁ εὐφραινόμενος ἐπ' αὐτοὺς ἀποτείχει. *Qui aliqua premitur angustia ad quadraginta confugit, qui lætatur ad eos accurrit.* Geminum erat peccatum. Primum, quod imperandi modo redditum, id quod scriptum est indicandi. Non enim καταφεύγέτω dixit, aut ἀποτειχίτω: sed καταφεύγει καὶ ἀποτείχει. Et quanuis non sit fortasse hoc maximum peccatum, tamen non est nullum. Alterum grauius: *Hos oret*, at Basilius, *ad hos accurrit.* Alio sensu. Nam Basilius martyres ipsos nominauit pro memoria martyrum, vt apparet ex iis quæ statim sequuntur: ἐνταῦθα γυνὴ εὐσεβὴς ὑπὲρ τέκνων εὐχομένη καταλαμβάνεται: *Hoc loco mulier pia pro natis precans deprehenditur.* Ergo memoriam ipsam designauit. Itaque sensus est; Christianos accurrisse ad quadraginta martyrum thecas; vt eo loco orarent. Non est autem necesse orasse ipsos martyres; Nam alias docuimus ad eas thecas non ipsos Sanctos, sed Deum potius inuocatum. Ex eiusdem homilia in Psalmum trigesimum tertium, *Sanctæ Spirituales virtutes, aliquæ oculi dicuntur,* τῷ τῶν ἐπισκόπων ἡμῶν τῷ φιλοχριστῷ ἡ πιστευθεῖσα, *ob susceptam, sibique creditam nostri curam: nonnullæ aures, vt quæ nostras excipiunt preces.* Sed eas preces quis non videt intelligendas, quas ad Deum fundimus? Sic enim plerisque olim persuasum, ab Angelis suscipi, tanquam nunciis.

XXIII. Nec videtur aliter Rufinus, capite trigesimo tertio libri secundi historiæ, dicere Theodosium Imperatorem proficiscentem ad bellum contra Eugenium tyrannum: *ante martyrum & Apostolorum thecas iacuisse, cilicio prostratum, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poposcisse.* Non enim ipsos martyres inuocatos scripsit; sed ante martyrum thecas poposcisse auxilium intercessione martyrum. Nam etsi illud de intercessione, inclinationem olet Ecclesiæ: tamen non est necessario coniunctum cum eorundem inuocatione. Facit mecum Theodoretus libri quinti capite vigesimo quarto: qui eundem Imperatorem dixit in sacra æde totam eodem vniuersitatis gubernatorem precibus sollicitasse. Imo Sozomenus historiæ libro septimo capite vigesimo quarto: *Fertur*, inquit, *cum egressus Constantinopoli ad septimum miliare peruenisset* προσεύξασθαι τῷ Θεῷ, *orasse Deum;* καὶ σύμμαχον αὐτῷ ἐπικαλέσασθαι τὸν Βαπτιστήν. *Et auxiliarem sibi aduocasse Baptistam*: Nota προσεύξασθαι Deo assignari: Ioanni autem ἐπικαλέσασθαι longe minus, quanquam hoc ipsum ex ea inclinatione, quam diximus: & tamen facile intelligendum aduocasse, fusis non ad ipsum Baptistam, sed ad Deum precibus.

XXIV. Chrysostomi oratione sexagesima sexta ad Populum Antiochenum, siue potius in posteriorem ad Corinthios homilia vigesima sexta. *Ipse, qui purpuram indutus est, accedit ad illa complexurus sepulchra: & fastu deposito stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant, & scenarum fabrum, & piscatorem vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit.* Ast ego vitiosum accuso. Nam Græcè habes διάδημα τῆς ἀρετῆς: & postea, τὸν σκηνοποιὸν, καὶ τὸν ἁλιέα προσεύχεται καὶ πεπολιτευμένον διάδημα. Ast id verbum, norunt omnes non tantum esse orare, precari, sed etiam *indigere.* Itaque longe melius reddideris: *Fastu deposito stat indigens Sanctis, vt sibi ad Deum præeant. Et quidem tentoriorum opifice, ac piscatore patronis etiam defuncto indiget is, qui diadema gestat.* Et sic pertinebit ad intercessionem, at non ad inuocationem.

XXV. Huic loco Bellarminus addendos indicat alios, ex homilia quinta & octaua in Matthæum, & prima in priorem ad Thessalonicenses; & in Genesim quadragesima tertia, & in martyres Iuuentinum & Maximum, sed sua fide facit, hoc est, Iesuitica. Nihil enim iis vllis locis legas de inuocandis Sanctis defunctis. Certe octaua illa in Matthæum nihil habet, quod vel procul accedat. Quinta prolixe disputat viuentium preces vtiles esse, si ipsi digne viuamus. Τί δὴ τοῦτο λέγω; ὅτι αὐ χρηματῶμεν ἡ δεησόμεθα ἑτέρων βοηθείας. αὐδὲ καθ' ὅλου μὴ ἔδει ἡμᾶς πολὺ ἡ ἑτέρων βοήθεια (deest ὀφείλω, aut quid simile) ἀλλ' ἀκμὴ μετ' ἐκείνης ἀποκυμεθα. καλὸν δὲ χῶς ἀποκαίειν τῆς τῶν ἁγίων. ἀλλ' ὅταν καθεύδωμεν ἐνεργοῖ ὤφελος. *Ad quid hæc dico? Quia si vigilamus, non indigebimus alieno auxilio, sin autem dormiamus, nihil iuuabit, quin potius cum eo peribimus. Pulchrum est frui sanctorum precibus, sed quum ipsi operamur.* Illa in Iuuentinum & Maximum, eadem alacritate veteres Sanctos coli & recentes, qua de re actum libro præcedente. Item eorum reliquias curatas, de quo proxima controuersia disputabit. Denique *sæpe eos inuisamus, tumulos adornemus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur.* At de inuocandis ne apicem quidem reperias.

XXVI. Iam vero ex gliscente illa persuasione de Intercessione Sanctorum, frequentes videas in orationibus apostrophas ad Sanctos; quos viri pij tanquam præsentes alloquebantur, vt oratoribus moris est, quum incaluit dicendi studium; mouendique auditoris. Sic Nazianzenus Athanasium, *Tu autem ô supernus propitius nos respice, & populum hunc dirige, & suscipe, & cum te ipso statue, & iis qui tales sunt vt tu.* Etiam Basilium, *Tu vero sacrum & diuinum caput, nos cœlitus inspicias, carnisque stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, aut precibus tuis sistas, aut persuadeas, vt forti animo feramus.* Nyssenus Sanctum Theodorum, *Intercede, ac deprecare ô Paula: & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua.* Hieronymus Paulam: *Vale.* Eodem modo Nazianzenus conuertit se ad omnes populos, tribus, linguas, ætates præsentes & futuras, oratione prima in Iulianum, & ad Pascha; oratione secunda de eo. Eiusmodi ἐντυπώσεις, qui pro solidis argumentis admittunt, næ illi sibi male consulunt, nec de Ecclesia bene merentur.

XXVII. Sunt tamen, fateor, duriores loci: Apud Nazianzenum, in Cypriano, virgo Iustina, virginem Mariam rogat, vt sibi opem ferat. Apud Ambrosium, obsecrandi sunt Angeli: obsecrandi martyres, qui proprio sanguine peccata, si quæ habuerunt, lauerunt. Apud Fulgentium, apud Leonem similia. Sed ea tam pauca, tam noua, tam præter Scripturam, præterque priorem traditionem: tam denique contraria solenni in Ecclesia doctrinæ de Inuocatione, quam postea videbimus, rectius dissimulantur, quam affectantur, religiosius condonantur viris alioqui magnis, quam imitanda proponuntur.

XXVIII. Sed insurgens Lindanus Panopliæ libro tertio, capite vigesimo septimo, pollicetur, se demonstraturũ, fuisse in vsu Sanctorum Inuocationem ipso Apostolorum tempore. Quod si faceret, næ illi multum debere tota Papistarum cohors. Quid ego? Sanctorum, inquit, festa

ſuere Apoſtolorum ætate celebrata. Quare & Sanctorum inuocatio fuit ab Apoſtolis tradita. Hem! quam paruo conatu, quantam rem conficit?

XXIX. Verum odioſiſſimi Papiſtis Catholici, huiuſce Epichærematis vtramque partem negant. Primo antecedentem. Nullos enim dies feſtos Sanctis ab Eccleſiæ initio conſtitutos, pauciſſimos ipſi Deo, vt Reſurrectionis, Paſchatis, Pentecoſtes, quamuis hos etiam deſtitutos Apoſtolorum teſtimonio, imo & Apoſtolicis viris vix ſatis teſtatos. Qua de re aliud erit diſputandi tempus, ſi Deus dederit. Quinetiam primum teſtem Lindanus habet, de feſto Innocentium, Origenem, qui vixit duntaxat ſecundo ſeculo, eoque prouecto; nec feſti facit vllam mentionem, ſed tantum Memoriæ. Et denique vix ipſius Origenis eſt teſtimonium. Nam qui vertit Interpres, ſic luſit, vt in ſuo, addens pro arbitrio quidlibet, quod tum Eraſmus teſtatur, tum quilibet non obeſiſſimæ naris, ſingulis propemodum paginis deprehendet.

XXX. Conſequentem etiam negant, qui ſciunt Memorias feſtaque Martyrum celebrata, vt in iis Deus adoraretur & inuocaretur. Sed Lindanus confirmat alio epichæremate. Priſca Chriſti Eccleſia clariſſimorum Apoſtolorum diſcipulis illuſtrata, martyrumque qui illorum diſcipulos audierant, auditoribus florens, feſta Sanctorum, cum eorundem inuocatione celebrauit. Ergo non niſi ab Apoſtolis Sanctorum inuocatio eſt exorta. Antecedentem probat ſolo Origenis teſtimonio de feſto Innocentium.

XXXI. Sed negatur antecedens. Nam, vt teſtatur Pereſius de Intercesſione Sanctorum, vltra Cyprianum nihil legitur: Inuocatio autem longe recentior, non tranſcendens ætatem Baſilij. Itaque, etſi verum ſit, ante Baſilium inſtituta eſſe Martyribus feſta, tamen ea nihil habebant commune cum Inuocatione Sanctorum. Imo, ipſe Origenes de inuocatis Innocentibus, neque μὴν neque μὲν. Tantum de Interceſſione. Quamuis, vt dixi, incertum ſit, an ita ſcripſerit Origenes: an potius audax interpres de ſuo inſerſerit. Nam huius feſti, nemo alius vſquam meminit, non Origenem multis annis ſequutus. Sed feſtis ſua debetur Controuerſia.

CAP. VI.

Scripturæ contra inuocationem Sanctorum.

I. CAtholici nunc contra diſputant. Primum argumentum: Paulus ad Romanos 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Vnde conſtat, neminem inuocandum, niſi in quem credimus. At conſtat non eſſe credendum in Sanctos. Conficitur ergo non eſſe inuocandos Sanctos. Niſi quis malit potius Paulo contradicere, & inuocationem ſine fide imaginari. Quod quidem de inuocatione ciuili, verum fuerit, ſed de religioſa ne cogitari quidem poteſt.

II. Bellarminus reſpondet: primo Paulum agere de Inuocatione, qua aliquis inuocatur vt Deus, & primus autor bonorum. Probat; quia præcedat, *omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Et addit Coſterus, quia alias ſequeretur non eſſe inuocandos aut rogandos viuentes. Secundo: Neminem poſſe inuocare Deum, qui non credit in eum, id eſt, qui non credit eſſe Deum; & ei credendo in eo non ſperat, nec eum diligit. Non poſſe etiam Sanctos inuocari, vt Sanctos, & amicos Dei niſi, ab eo qui ſuo modo in eos credit, id eſt credit eſſe Sanctos, nec in eis ſperat, vt in patronis, nec vt tales diligit.

III. In primo facile negotium. Inuocationem religioſam nullam eſſe, niſi, qua quis inuocatur vt Deus: itaque nihil non reipſa vere Bellarminum dicere. Nihilominus Paulum non id expreſſiſſe: ſed ipſum vocabulum. Quomodo, cum dicunt Papiſtæ, Latriam vni Deo deberi: ſi quis dicat eos agere de Latria, qua aliquis colitur vt Deus, & primus autor bonorum, quid promouerat? Nimirum irrideant Papiſtæ, quia non credant ita diſtinctam Latriam. Similiter Catholici, qui inuocationem religioſam nullam agnoſcunt aliam, præter eam, qua Deus inuocatur, Sophiſticem deteſtabuntur, quæ pro diſtinctione opponat non diſtinctionem. Intelligo præcedere nonnihil de inuocatione nominis Domini: ſed id nihil ad hanc diſtinctionem: imo ſignificabit poſſe quidem inuocationem deferri pluribus præter Deum, prout proni ſemper homines fuere ad idololatriam, ſiue ſimpliciter diis propoſitis. ſiue diſtinctis in Deos ſummos & ſubalternos, quod Platonicorum ſomnium erat, ſed ſolam illam eſſe ſaluificam, ſolam legitimam, quæ ad Deum referatur. Tum autem ſine dubio, ne viuentes quidem inuocandi fuerint. Sed quominus rogentur, hoc eſt inuocentur promiſcue, & ciuiliter, nihil obſtabit.

IV. In ſecundo ſupponitur credi in Deum aliter, & in Sanctos aliter. Sed id recens eſt Papiſtarum commentum. Nam contra Catholici iampridem credere in Deum dixere, nec in quemquam præterea. Euſebius Emiſſenus, ſiue Cæſarius Arelatenſis, ſiue potius Eucherius Lugdunenſis, de Symbolo, homilia 2. *Credere & Paulo & Petro iure debemus: in Petrum vero ac Paulum credere, id eſt, in ſeruos conferre honorem Domini non debemus. Credere illi quilibet poteſt homini: credere vero in illum ſolite debere noueris maieſtati.* Gregorius Nazianzenus oratione 37. ὁ τὸν ἐπὶ πιστεύειν τὸν καὶ αὐτὸν πιστεύειν τὸ ὧν γὰρ ἐστὶ φύσεως. τὸ δὲ πάντες πράγματος *Non idem eſt credere in aliquid, & credere de aliquo. Illud Deitatis eſt: hoc cuiuſcumque rei Hac propoſitione ſyllaba*, inquit Rufinus in Symbolum, *creator à creaturis ſecernitur, & à una ſeparantur ab humanis. Itaque vbi de diuinitate fides ordinatur, in Deum Patrem dicitur, & in Ieſum Chriſtum Filium eius, & in Spiritum Sanctum, in cæteris vero, vbi non de diuinitate, ſed de creaturis ac myſterius ſermo eſt, in propoſitione additur, vt dicatur in Sanctam Eccleſiam, ſed Sanctam Eccleſiam credendam eſſe.* Autor ſermonis de tempore centeſimi tricesimi primi in operibus Auguſtini, *Sciendum eſt, quod Eccleſiam credere debeamus, quia Eccleſia non eſt Deus, ſed domus Dei eſt.* Aquinas in Ioannis 14. *In hoc, quod dicit & in me credite, conteſtatur ſe verum eſſe Deum: nam ſi homini alicui creaturæ credere iceat, in nullum tamen niſi in Deum credere debemus.* Ac ſane illud *credere in Deum*, non bene Bellarminus, quia non plene definit. Non eſt enim duntaxat credendo Deum eſſe, in eo ſperare, illumque diligere, ſed aliquid longe auguſtius. Lombardus lib. 3. diſtinct. 23. *Credere in Deum, eſt credendo amare, credendo in eum ire: credendo ei adhærere, & eius membris incorporari.* Eſt igitur hæc noua nouarum Papiſtarum, id eſt. Ieſuitarum Theologia; quam hactenus omnes ignorauerant. Sed non debet nouellis adinuentionibus veritati præiudicium fieri.

V. Stapletonus in Antidotis Apoſtolicis, in promptu, inquit, ſolutio eſt; quæ apud Scholaſticos trita, inuocationem cum fide coniunctam, eam eſſe, quæ, quod petit, ab eo implendum petit quem inuocat, quæ ſoli Deo propria eſt bonorum omnium autori & largitori. Sanctorum vero inuocationem huiuſmodi eſſe, vt non per eos impleri roget quæ petimus, ſed tantum per eos impetrari velit quæ deſideramus.

VI. Sed viderit Stapletonus, quibus ille Scholaſticis ſuam diſtinctionem tritam eſſe velit, certe Bellarminus ignorauit. Coſterus ignorauit. Sed hanc diſtinctionem ſi bene aſſequor, ea erit huiuſmodi; vt alia ſit inuocatio autoris largitoriſque omnium bonorum, alia eorum, qui non ipſi implent quod poſtulatur, ſed tantum impetrant. Illam non eſſe abſque fide, hanc vero contra. Et rurſus, illa Deum à Papiſtis inuocari, hac ſanctos. Atqui primum ea diſtinctio eſt ridicula, non enim ipſam rem diſtinguit de qua agitur, ſed duntaxat eos ad quos refertur. Eſt autem certum poſſe illam inuocationem transferri ad eos, à quibus non poſſit impleri id quod poſtulatur, alioqui nunquam quiſquam in inuocando idololatria eſſet. Nimirum, quomodo ſacrificium etſi ſit oblatio, quæ Deo offertur in agnitionem ſummi principij; tamen poteſt deferri ei qui neque ſit, neque agnoſcatur ſummum principium, quomodo Plato Gallum iubebat ſacrificari Æſculapio, quomodo Lyſtrenſes Paulo ſacrificabant, quem tamen Mercurium putabant, eoque ſuperiorem Iouem Barnabam. Nec minus tamen peccabant, quod Paulo, quam quod Barnabæ, nimirum, quia res debuit diſtingui in ſeipſa, ſi diſtinguenda erat, non autem ex perſonis illis.

VII. Præterea, Papiſtæ Sanctos ita inuocant, vt poſtulent ab iis non tantum impetrari, ſed etiam impleri quæ poſtulant. Mariam Virginem his verbis inuocat author ille quiſquis eſt orationis de Sanctiſſima Deipara, quæ Athanaſio ſupponitur. Μνήσθητι ἡμῶν, ἡ αὐτίδος ἡμῖν αὐτὴ τῶν μικρῶν τῶν λογίων μεγάλας τὰς δωρεὰς ἀπὸ τῆς πλήρους τῶν χαρισμάτων σὺ κεχαριτωμένη. *Recordare noſtri, & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum; tu quæ gratia plena es.* Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus apud Coccium, Theſauri tomo 1. lib. 3. artic. 4. *Ne quæſo tenuis & indignæ linguæ ſupplicationem reiicias, ſed animum remetiens peccatorum noſtrorum remiſſionem nobis concedas.* Et paulo poſt, *valida illa manu tua ab æterno nos eripiens.* Ibidem Damaſcenus, *O Ioachim & Annæ filia, ac Domina, peccatoris orationem accipe, ardenter tamen amantis, ac colentis, teque ſolam gaudii ſpem habentis, vitæ antiſtitem, in gratia cum Filio me reducentem, firmamque ſalutis arrham, peccatorum ſarcinam diſcute, idque quod mentis meæ tenebras offundit, ac terrenam craſſitiem diſſipa.* Idem eiuſdem virginis auxilium appellat omnipotens. *Perſequar inimicos meos, & in fugam vertam ſolam habens vt thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.* Idem oratione 1. in dormitionem Mariæ, *Tu vero, bona domina, bonique Verbi parens, vtinam nos inſpicias, ac res noſtas arbitrio tuo regas, & moderes.* Nicephorus Gregoras lib. 9. quum ſeniorem Andronicum recitaſſet ad Virginem confugientem: καὶ μὴν καὶ ἐπήκοον ἐγένετο τῆς δεήσεως αὐτῷ, καὶ πολλῷ ἐχαρίσατο τῷ ἐπισκουρίᾳ· ἡ πάντα ὅσα βέλτιστα δυναμένη πάναγνος θεοτόκος. *Enimuero exaudiuit preces eius, feſtinumque tulit auxilium illa, quæ quicquid vult poteſt, intemerata Dei genitrix.* Ludolphus Saxo Carthuſianus apud eundem Coccium: *Deprecor bonitatem tuam immenſam, vt tu, ſummum meum ſolatium, dirigas vitam meam; meque tuas virtutes & exempla propoſſe imitari facias, & gratiam tuam mihi ſemper adeſſe concedas.* Adrianus Papa ad Conſtantinum & Irenen in Concilio Nicæno ſecundo actione 2. *Ipſi ſcilicet*, Petrus & Paulus, *regni veſtri propugnatores erunt, cunctaſque barbaras nationes pedibus veſtris ſubiicient, vt quocunque ire perrexeritis, victores vos declarent.* Quid plura? Ille bipedum inſolentiſſimus Gregorius ſeptimus in ſecunda excommunicatione Imperatoris Henrici, apud Baronium anno milleſimo octogeſimo: *Beate Petre, princeps Apoſtolorum, & tu beate Paule doctor gentium, dignamini quæſo aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire.* Et ad extremum: *Agite nunc, quæſo, Patres principeſque ſanctiſſimi, vt omnis mundus intelligat, quia ſi poteſtis in cœlo ligare & abſoluere, poteſtis in terra. Imperia regna, principatus, Ducatus, Marchias, Comitatus, & omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere vnicuique & concedere. Addiſcant nunc reges & omnes ſeculi principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis, & timeant paruipendere iuſſionem Eccleſiæ veſtræ, & in prædicto Henrico tam cito iudicium veſtrum exercete, vt omnes ſciant, quia non fortuitu, ſed veſtra poteſtate cadet.* Infinita ſunt huius generis exempla: quibus conſtat à Papiſtis inuocari Sanctos; vt ipſi ſua poteſtate impleant; quæ rogantur. Ac proinde inuocari ea inuocatione, quam Stapletonus videri vult eximiam Deo relinquere.

VIII. Et tamen Bellarminus diſerte, *Non licet à Sanctis petere, vt nobis, tanquam autores diuinorum beneficiorum, gloriam, vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant.* Ergo, inquam, illæ, quas iam vidimus preces non ſunt licitæ: ſunt potius idololatricæ. Sed audite σεφὸν φάρμακον. Idem vt hoc vulnus curet. *Notandum*, inquit, *cum dicimus non debere peti à Sanctis niſi vt orent pro nobis, nos non agere de verbis, ſed de ſenſu verborum. Nam quantum ad verba licet dicere, S. Petre miſerere mei, ſalua me, aperi mihi aditum cœli: item, da mihi ſanitatem corporis & reliqua, dummodo intelligamus ſalua me & miſerere mei, orando pro me.*

IX. Nimirum ita mulier illa adultera *comedit, & tergens os ſuum dicit, non ſum operata malum*, Prouerb. 30. Quãdo enim deſunt impiis blandi ſermones? quãdo impietatis excuſationes? At Deus ὁ μυκτηρίζων. Videant cordati, iudicent ſani, vtrum qui ſe teſtantur habere pro thorace ſolam protectionem Mariæ, eiuſque omnipotens auxilium, ij ſignificent nihil aliud, niſi impetrari ſibi ab ea protectionem & auxilium. Qui optant regi res ſuas eius arbitrio, ſolam interceſſionem habuerint in animo. Ad hæc, ſi nihil aliud in mente Gregorius habuit, niſi adiuuari ſe precibus Petri & Pauli, quomodo ipſe Petrus & Paulus poſtulabant ſe iuuari à fidelibus, vt illi tam magnificæ phraſis, *vt poteſtis in terra imperia tollere, & concedere? Iudicium veſtrum exercete?* Et illud, *veſtra poteſtate cadet?* Quid illud, ſicut in cœlo ligare poteſtis & ab-

& absoluere? Nam hoc certe non intercessionis Papistæ dicunt esse, sed iurisdictionis, & potestatis. Denique, si hæc non est excusatio nulla: certe non omnium est Papistarum: sed paucorum, qui reliquis non pietate, sed calliditate præstant. Quomodo apud Ethnicos, vulgus ita idola adorabat; vt putaret Deos: at nasutiores testebantur esse Deorum repræsentationes: Vulgus itē infinitos Deos nominabat: at pauci subtiliores allegorias quæritabant, & vnius Dei varia effecta garriebant. Quæ tamen arteē non purgabant idololatriam. Qui magis istæ Papistas absoluant crimine?

X. Transeo ad aliud argumentum. Lucæ 11. *Et factum est, cum Christus precaretur quodam loco, vt cessauit, dixit ei quidam ex discipulis, Domine doce nos precari, prout & Ioannes docuit discipulos suos. Dixit autem eis, Cum precamini dicite, Pater noster qui es in cœlis.* Nota. Primo ab Apostolis rogari Christum, vt se orare doceret, generaliter: non autem vt se orare doceret Deum, hoc enim si additum esset, poterant videri preces distinctæ, vt aliæ ad Deum, aliæ ad Sanctos spectarēt: & Apostolos non harum, sed illarum tantum formulam postulasse. At nunc, cum simpliciter dicunt orare, nullus locus est huic sophisticæ. Secunda: Christum dixisse, *Cum oratis*: nimirum respondendo generali interrogationi: ac proinde idem esse ac, Quoties oratis. His positis reliqua plana sunt. Nam si formulam generalem precandi Christus præbuit, ac tum iussit orare *Patrem qui est in cœlis*, certe qui non dicunt, *Pater noster qui es in cœlis*, eos necesse est non orare. At qui inuocāt Mariam, aut Paulum, ausint-ne dicere *Pater noster qui es in cœlis*? Ergo docuit Christus non alium inuocandum: præter Patrem qui est in cœlis.

XI. Respondet Bellarminus, orationem Dominicam ad solum Patrem referri. Et tamen licere inuocari Filium & Spiritum Sanctum. Ergo non concludit argumentum, Christus solum Patrem inuocari docuit: Ergo Angeli, & Sancti non sunt inuocandi. Nam si hoc concluderet, etiam illud. Ergo Filius & Spiritus inuocandi non sunt. Secundo: Christum, cum Apostolos docuit orare, non de eo qui orandus est, sed de iis rebus, quæ petendæ sunt, admonere voluisse discipulos: Satis enim constabat Deum esse orandum, & solum etiam Deum, cum autor donorum quæritur: sed de modo orandi, siue de petendis rebus, Apostoli ambigebant, cum dicerent, *Doce nos orare*.

XII. Sed ad prius. Primo, nihil est necesse de Deo Patre personaliter intelligi. Nam neque Pater dicitur simpliciter: neq; *Pater noster*, infert personalem differentiam. Neque esse in cœlis non est commune tribus. Itaque nihil obstat, quominus tota Deitas intelligatur. Certe Maldonatus, *Magis aliorum probo sententiam, qui totam hic Trinitatem Patrem à nobis vocari dicunt.* Et disputat ita esse. Sunt tamen fateor, cum antiqui tum recētes, qui Patrem personaliter accipiant. Itaq; nego similia esse argumenta: solus Pater inuocandus, non igitur Filius, non Spiritus: & solus Pater inuocandus, non ergo Angeli: non sancti. Ratio, quia inter Patrem, Filium, & Spiritum, nulla differentia naturalis. Est enim natura idem Pater, qui Filius: & vterq; idem qui Spiritus. nempe idem Deus, itaque eorum quæ sunt ad extra (vt loquuntur) nihil Patri sic proprium, vt non sit Filio commune & Spiritui: Ac proinde obseruant Veteres sæpe, cum solus Pater dicitur, id esse, πρὸς ἀπολογίαν τῶν ἐν φύσει θεῶν, non vero vt separetur Pater à Filio & Spiritu. Angeli, Sanctique natura alij sunt à Deo prorsus, neque interna tantum differentia, sed & externa.

XIII. In secundo sumitur falsum. Docuit enim Christus Apostolos precati non tantū materialiter & formaliter: vt ex ipsa apparet formula. Imo ex Apostolorum postulatione: *Doce nos orare.* Ea vero interrogatio fuit generalis tam de rebus quam de forma. Nam si de rebus tantum dixissent. Doce nos quid orare oporteat, vt ad Romanos 8. τί προσευξώμεθα καθὸ οὐ οἴδαμεν: *Quid precemur non nouimus.* At constabat (inquit) Deum esse orandum. Concedo, sed non constabat eis, quomodo orandus. Itaque formam præscripta est, vt scirent quomodo is esset inuocandus, quem iam sciebant esse inuocandum. Id autem, quomodo, vtrumque complectitur, & materiam, & formam precum, vtrumque igitur Christus complexus est suo responso.

CAP. VII.

Argumenta & autoritates Veterum contra inuocationem Sanctorum.

I. PRæter Scripturam, argumenta Catholicis non desunt. Primo, Λατρεία soli Deo deferenda est: At Oratio siue Inuocatio est λατρεία. Ergo Oratio soli Deo deferenda est. Maior patet per se, consentientibus etiam Papistis. quibus ergo nulla potest superesse exceptio, si probetur assumptio.

II. Hanc igitur probo. Tertullianus de Oratione cap. 1. *Et molestum fidei desiderabat, vt quem vbique audire & videre fideret, ei soli religionem suam offeret*, hoc est orationem. Cap. 9. *Ab ipso ordinata religio orationis.* Origenes in Epistolam ad Romanos libr. 8. in caput 10. *Inuocare Domini nomen, & adorare Deum, vnum atque idem est.* Chrysostomus tum ambas copulat δοξολογῶ καὶ λατρεύειν: tum diserte hanc pro illa ponit. lib. 1. de Oratione. Primo igitur ὅταν ἴδῃς τὸν τοῦ Θεοῦ λατρείας ἀκριβῶς ἐχόμενον, καὶ τὸ μὴ προσευχόμενον συνιχνεῖ τοῖς μεγίστοις ἀναθήμασι τὰ ζημιώσεις, τιμωρεῖσθαι τὸν τοιοῦτον πάσης ἀρετῆς ἀσκητὴν εἶναι βέβαιον, καὶ τοῦ Θεοῦ ναὸν, εἰ γὰρ τολμῶς ἀνδρὸς, καὶ βῆμα πόδος, καὶ γέλως ὀδόντων ἀναγέλει τὰ τοῦδε αὐτὸν, καὶ τὸν σοφὸν Σολομῶντα, πολλῷ μᾶλλον δοξολογίαν καὶ λατρείαν Θεῷ σημεῖον ἐστὶ δικαιοσύνης ἀπάσης, *Vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem latriæ Dei, & si non continenter orauerit, id in maximis detrimentis deputantem, hunc ego coniicio omnes virtutes solide exercere. Deique esse templum. Nam si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentium declarat qualis homo sit, iuxta sapientem Solomonem, multo magis Oratio & Latria Dei signum est omnigenæ iustitiæ.* Et rursus, χρὴ καὶ τὴν κλίνης ἀπαίρειν ἀφορᾶν φθάσας ἀεὶ τὸν ἥλιον τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ καὶ τρεπίζης ἀπιόμενος, καὶ καθεύδων μιμούμενος; *Oportet & stratis relictis Dei latria præuenire solis exortū, & cū ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus: μᾶλλον δὲ καὶ ἐκείνῳ ὥραν μίαν δοξολογῶ τῷ Θεῷ προσφέροντας, quin potius singulis horis vnam precationem offerre Deo.* Libro 2. *Angeli docent nos, vt tantisper dum oramus humana natura obliuiscamur, & occupati mentis alacritate simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in angelorum medio consistere.* καὶ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις λατρείαν ἐπιτελοῦν, eidemq; cum ipsis latriæ vacare. *Nam in reliquis multum discriminis est inter conditionem illorum & nostram: siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapientiam, siue intelligentiam, siue quicquid aliquis recensere possit,* προσευχῆς δὲ κοινὸν ἔργον ἀγγέλων ὁμοῦ καὶ ἀνθρώπων, *Cæterum orare commune est opus Angelorum pariter & hominum, neque quicquam interest nostram naturam & illorum,* πλὴν εἰς προσευχὴν, *dumtaxat quod attinet ad deprecationem.* Hæc te sociat Angelis. Quin facile fiet, vt quis ad illorum institutum transferatur in illorum vitam & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, & intelligentiam, πάντα τὸν βίον εὐπροσευχαῖς καὶ τῇ τοῦ Θεοῦ λατρείᾳ παραδιδοὺς ἐχολακεύσας, *qui per omnem vitam precibus & Dei latriæ vacare studuerit.* Idem in 2. prioris ad Timotheum, cum iubet Paulus, in primis fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, τί ἐστι τὸ πρῶτον πάντων; τουτέστιν, ἐν τῇ καθημερινῇ. *Quid est illud primum omnium? Hoc est in latria quotidiana.*

III. Idem probatur ex orationis Definitione. Quam inuenio geminam. Vnam παχυμερῆ; aliam ἀκριβεστέραν. Priori modo, Oratio definitur? colloquium cum Deo. Chrysostomus de Oratione lib. 2. πᾶς προσευχόμενος τῷ Θεῷ συνομιλεῖ τοῦτο: *quicunque orat, cum Deo colloquitur.* Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis, *Semper tecum sponsus* (Christus) *ludit intrinsecus. Oras, loquitur ad sponsum, legis, ille tibi loquitur.* Bernardus in Cantica, sermone 30. *Orantem hominem cum Deo loqui quis dubitet?* Nilus de Oratione cap. 2. *Est oratio colloquium mentis cum Deo.* Gilbertus in Cantica sermone 7. *Dum legis, erudiris de Christo, orans vero familiare cum ipso feris colloquium.* At hoc falsum est, si oratio fiat ad Angelos, vel Sanctos. Tum enim orāos, colloquitur cum iis, non cum Deo.

IV. Altero modo Basilius oratione in Iulittam. Προσευχή ἐστιν αἴτησις ἀγαθοῦ παρὰ εὐσεβοῦς εἰς Θεὸν γινομένη. *Oratio est postulatio boni à pii ad Deum facta.* Bernardus de scala claustrali, *Oratio est deuota cordis intentio in Deum pro malis amouendis, & bonis adipiscendis.* Damascenus Orthodoxæ fidei libro 3. cap. 24. προσευχή ἐστι, ἀνάβασις τοῦ νοῦ πρὸς Θεὸν, ἢ αἴτησις τῶν προσηκόντων παρὰ Θεοῦ. *Oratio est ascensio mentis ad Deum, vel decentium à Deo petitio.* Altenstaig in Dictionario, verbo, Orare, *Oratio dupliciter potest accipi. Vno modo pro desiderio obtinendi aliquid à Deo, quod desiderans ordinetur in ipsum: & sic oratio est quidam ascensus animæ intellectiuæ ad Deum. Alio modo, Orare idem est, quod prædictum desiderium loquendo Deo proponere, non per modum indicatiuum, sed supplicatiuum.*

V. Ita semper oratio in definitione sua includit relationem directam ad Deum. Quod quidem adeo verum est, vt cum secūdo capite prioris ad Timotheum legamus, *Adhortor ante omnia, vt fiant deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones pro quibusuis hominibus*: etiam si non addatur totidem literis, *ad Deum*: tamen nullus est Veterum, qui non hoc intellexerit. Ambrosius in Institutione virginis c. 2. *Immolemus Deo sacrificium laudis, vt & Apostolus dicit*, & citat statim locum. Chrysostomus homilia 6. in eam Epistolam, δεήσεις, φησὶ, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. δεῖ γὰρ εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ. *Deprecationes*, inquit, *orationes, interpellationes, gratiarum actiones. Deo quippe oportet agere gratias.* Nec dissimilis locus cap. 6. ad Ephesios, *Omni prece, & supplicatione, precantes omni tempore.* His sane, aut nusquam, locus erat concipiendarum precum ad Angelos, ad Sanctos, si quæ Christianis preces essent ad Angelos, ad sanctos. Diserte enim *Omni prece.* At Chrysostomus, Καθώπλισεν αὐτοὺς μετὰ πάσης ἀσφαλείας, *Armauit eos tutissime. Quid insuper opus est?* Τὸν βασιλέα καλεῖν καὶ τὴν ἀναγκαλίδα ἔστι ὁρίζειν χεῖρα λαβὼ πάσης προσευχῆς, φησὶ, καὶ δεήσεως, *Regem inuocare, & orare vt manum porrigat, Omni prece*, inquit, *& supplicatione.*

VI. Hinc fit, vt denegetur inuocatio iis, qui non sunt Dij, & contra ex concessa inuocatione concludatur Deus. Nouatianus de Trinitate, cap. 14. *Si homo tantummodo Christus, cur homo in orationibus mediator inuocatur, cum inuocatio hominis ad præstandam salutem inefficax iudicetur?* Origenes in decimum ad Romanos, *In principio Epistolæ quam ad Corinthios scribit, vbi dicit, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostro, eum cuius nomen inuocatur, Deum Iesum Christum esse pronunciat.* Athanasius oratione 2. contra Arianos extrema, *Scriptum est, Fias mihi in Deum protectorem, & in munitionem refugii vt serues me, & factus est Dominus refugium pauperi, & quæcunque istius generis in Sacris Scripturis reperiuntur. Quod si ista de Filio dicta esse asseuerent, quod fortasse verius fuerit,* ἐπιγνώτωσαν ὅτι μὴ ὄντα γνωτὸν αὐτὸν ἀξιοῦσι γνῶναι βοηθὸν ἑαυτοῖς καὶ οἶκον καταφυγῆς οἱ ἅγιοι; *agnoscant non dignari sanctos sibi auxiliatorem & domum refugii inuocare eum qui esset factus.* Et oratione quarta, *Nunquam quisquam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab vllis rebus creatis.* Theophilus Alexandrinus Paschali secundo, *Quomodo* inquit, *inuocabunt, in quem non crediderunt? Oportet primum credere, quod Filius Dei sit, vt recta & consequens fiat eius inuocatio. Et quomodo adorandus non est, qui non est Deus sic è contrario, quem Deum esse constiterit, adorandus.* Cyrillus in Ioannem libro nono, capite quadragesimo secundo, *Si petieritis in nomine meo, hoc faciam: Liquido hic Deum se verum esse ostendit, suscepturum enim orationes suorum se dicit, omniaque concessurum eis quæ petant.* Arnobius libro sexto, *Hoc est proprium Deorum, complere omnia vi sua, non parthiopas pergere, & post dies bissenos priuatum ad domicilium redire. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis: & erit in dubio, audiamur ab diis, nec ne.*

VII. Enimuero, *illa potissimum est deprecatio*, inquit Chrysostomus sermone de Fide Annæ, *quum ab intimis voces sursum feruntur*: At neque Angeli, neque Sancti, sed solus Deus cognoscit abscondita mentis humanæ. Prioris Regum 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominis.* Ambrosius de obitu Theodosij. *Occultorum solus cognitor Deus.* Itaque recte Nouatianus de Trinitate capite decimo tertio, Christum concludit esse Deum, *Quod cum nullius sit nisi Dei, cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis.* Respondet hoc loco Bellarminus: Deum nosse secreta cordium primo omnium, secundo naturaliter, & propria virtute: At sanctos, quorum primam tantum. Et per reuelationem. Frustra. Nam quis fecit Papistas certos huius reuelationis? A quo eam habent Dei verbo? Imo à mero somnio suo. Itaque tam facile negatur, quam asseritur. Ioannes Dauius negat posse

Sanctos, vllumve, excepto Deo, nosse omnia corda: sed nosse tamen, quæ conducant ad promouendam salutem nostram. Atqui omnibus inuocandi proponuntur. Ergo omnium oportet eis corda patere. Aut si quorundam tantum? Ergo ab iis solis inuocari, hos vere quis distinguet? Aut, si nemo distinguit, qui poterit esse non incerta, non friuola, non ridicula inuocatio?

VIII. Quid? quod non possit inuocari nisi is in quem confiditur? At prohibentur Christiani confidere in homine. Nouatianus de Trinitate c. 14. *Si homo tantummodo Christus, cur spes in illum ponitur, cum spes in homine maledicta referatur?* Origenes homilia 4. in Ezechielem, *Ad eos qui in sanctis fiduciam habent, non incongrue proferimus exemplum, Maledictus homo qui spem habet in homine: & illud, Nolite confidere in principibus. Quod si necesse est in aliquo sperare, omnibus derelictis speremus in Domino.* Itaque Ambrosius optimè, in 4. ad Colossenses, *Idcirco omnipotentia magnitudinis quãta sit Christi, & quam infinita, ab initio declarauit, vt doceret in ipso solo spem ponendam, quia ipsius sunt omnia: & quia nihil sine ipso potest viuere, neque in cœlis, neque in terris. Ante omnes enim est, & cuncta ipsi constant, quia in omnibus ipse primatum tenet: vt si quis alicui elementorum aut Angelorum, vel potestatum deuotum se debere esse putet, errare se sciat.* Optimè item Augustinus de Pastoribus c. 8. *Sunt & montes boni, Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Et vide quia non tibi in montibus spes est: Auxilium,* inquit, *meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Noli putare iniuriam facere te montibus sanctis quando dixeris, Auxiliam meum non à montibus, sed Domino qui fecit cœlum & terram. Ipsi montes hoc tibi clamant.*

IX. Quid plura? Nullum in Scriptura mandatum, nulla promissio, nullũ exemplum, vnde confirmari possit inuocatio aut Angelorum, aut Sanctorum de vita functorum. Et in tanta, tantum sibi quenquam permittere, vt de suo inueneret, quod nunquam mandatum fuit, quod nunquam vsurpatum legit: cui nullam Dei benedictionem sperare potuit? Non enim Deus hominum arbitio sua dispensat bona. Grande argumentum, apud pias mentes.

X. Bellarminus respondet primò, ita posse concludi, Sanctos non orare pro Ecclesia, nec in genere nec in particulari. Et fortasse, inquam, vere concludetur. Nam orare defunctos saltem in genere, concedimus, nõ vt certissimum, sed vt verisimile: & quod neque negatum, neque affirmatum quicquam pietati officiat Christianæ. At hæc pars de Inuocandis mortuis, si non habeat πληροφορίαν, omnino aut in idololatriam abit, aut certe in superstitionem: quo vtroq; magnum infertum pietati damnum.

XI. Secundo respondet, nullum mandatum requiri, quando ipsa necessitas impellit. Promissionem æquè nullam desiderari: cum innumerabilibus signis & prodigiis testatum sit, Deum audire eos qui Sanctos inuocent. Exempla denique plurima esse in vtro Testamento. Sed hæ nugæ sunt. Nam quæ potest esse necessitas, cum à Deo per Christum habeant fideles omnia? Nulla enim hic necessitas fingi potest, nisi aut Deus non possit omnia tribuere, quod est blasphemum, aut per Christũ solum non possimus exaudiri, quod æque alienũ est à fide Christiana. Atq; adeo constat exauditos, qui nunquam aut sanctos precati sunt, aut per sanctos, sed tantum Deũ, & per Christum. Miracula autem negamus vlla vnquam facta ad inuocationem Sanctorum, etsi plurima finxerit ætas, tam superstitiosa quam postera. At in Scripturis certe nulla, neq; facta, neq; ficta. Exempla item, nulla colligi possunt, neque in Veteri, neq; in Nouo Testamento.

XII. Tertio respondet haberi particulare mandatum, & exemplum, & promissionem Iobi cap. vltimo. Mandatum, *Ite ad seruum meum Iob.* Exemplum, *Et ipse orabit pro vobis,* promissionem: *Ergo suscipiam faciem eius, vt non vobis imputetur stultitia.* At hoc nullum est mandatum, ac proinde nullum exemplum, nulla promissio de inuocandis siue Angelis, siue Sanctis mortuis, sed tantum de adsciscendis viuentium precibus, quod quidem nemo negat constare ex Scripturis.

XIII. Instat, Sanctos enim nunc maximè viuere, ea pate sui, qua preces audire, & pro supplicibus interpellare Deum possunt, necesse absentes quoad exauditionem, licet loco absentes videantur. Mera Sophistice. Nihilominus enim verum est, nullum dari mandatum, exemplum, promissum inuocandi eos qui illa sui parte viuunt. Etsi autem viuant quoad animam, tamen re vera functi sunt hac vita, quam nobiscum habebant communem: imo, quam habebat communem cum suis amicis Iob ille, tum cum adiri iubebatur. Deinde falsum, posse ea parte audire, posse interpellare. Tertio, etsi possent, tamen propterea essent inuocandi. Nam Iob, etsi posset interpellare, tamen non erat inuocandus.

XIV. Rursus, qui ab omnibus inuocatur, eum oportet esse vbique. At neque Angeli, neque Sancti sunt vbique: Ergo non sunt ab omnibus inuocandi. Nouatianus de Trinitate cap. 14. *Si homo tantummodo Christus, quomodo adest vbique inuocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed Dei, vt adesse omni loco possit?* Tertullianus de Oratione c. 1. *Modestum fidei desiderabat, vt, quem vbique audire & videre fideret, ei soli religionem suam offerret.*

XV. His omnibus rationibus vetustissimi Patres moti hac rota de re ita olim pronunciarunt. Irenæus lib. 2. c. 57. *Non est numerum dicere gratiarum, quas per vniuersum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Et post pauca, *Nec inuocationibus Angelicis faciat aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate, sed munde & pure, & manifeste orationes dirigentes ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi inuocans, virtutes secundum vtilitates hominum, sed non ad seductionem perfecit.* En negat ab Ecclesia Angelos inuocatos. Nam, quod Feuardentius malignos spiritus interpretatur, ipse maligno spiritu facit. Nam primo non solent maligni spiritus Angeli dici absolute. Secundo antithesis manifesta est, non tantum enim notauit Irenæus Angelorum nomen non inuocari, sed statim expressit, inuocari Patris & Filij, non autem bonorum Angelorum. Tertullianus Apologetici c. 30. *Nos pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum*: Et paulo post, *Hæc ab alio orare non possum, quam à quo me scio consequuturum, quoniam & ipse est qui solus præstat, & ego sum cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obsequio, qui propter disciplinam eius occidor.*

XVI. Origenes contra Celsum lib. 5. τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν διείσκομεν αὐτοὺς ἀφ' τὸ θειοῦ εἶναι, καὶ Θεοὺς οὐ τῶν ἱερῶν ποτὲ ὀνομαζομένων γραφῶν, *Hos spiritus angelos ex officio suo nominari docti, inuenimus propter diuinitatem quandam interdum Deos vocari à Sacra Scriptura:* ἀλλ' ἐχ' ὅτι προστάττοντος ἡμῖν τοῦς ἀφικνουμένους καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ Θεοῦ, σέβειν καὶ προσκυνεῖν αὐτὸ τὸ Θεοῦ. πᾶσαν μὲν δὴ δέησιν καὶ προσευχὴν, καὶ εὐπτυξίαν καὶ δοξολογίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ ἀφ' οὗ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων δεξιερῶς ἡμῶν λόγῳ καὶ Θεῷ, διὸ καὶ ἡμεῖς ἢ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ εὐπτυξόμεθα αὐτῷ, καὶ δοξολογήσομεν καὶ προσευξόμεθα ἢ, ἐὰν δυνώμεθα καταλέειν τὰ δεῖ προσευχῆς κυριολεξίαν καὶ καταχρήσεως. ἀγγέλους δὲ καλέσαι μὴ ἀναλαβόντας τὸν ὑπὲρ ἀνθρώπους δεῖ αὐτῶν ἐπιστήμων. οὐκ ἀλόγων, *At non sic vt iubeamur eos adorare, aut colere pro Deo, quamuis dona Dei ad nos deferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones destinandæ sunt ad Deum rerum omnium Dominum, per maiorem omnibus angelis summum Pontificem, viuum verbum & Deum. Gratias agemus etiam ipsi verbo, interpellabimus, vota & preces eiofferemus, modo intelligamus quomodo hæc accipiantur vel abusiue vel proprie. Angelos enim inuocare qui eorum scientiam non acceperunt supra hominem, absurdum est.* Idem lib. 8. Ἀπαγε δὴ τὸν τοῦ Κέλσου συμβουλὴν λέγοντος προσευκτέον εἶναι δαίμοσι καὶ ἥδε κῦ τὸ πρὸς ἀκουστέον αὐτῆς. Μόνῳ γὰρ προσευκτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ καὶ προσευκτέον γε τῷ μονογενεῖ καὶ πρωτοτόκῳ πάσης κτίσεως λόγῳ Θεοῦ, καὶ ἀξιωτέον αὐτὸν ὡς ἀρχιερέα τῶν ἐπ' αὐτῶν φθάσεων ἡμῶν διὰ τοῦ αὐαφέρειν ἐπὶ τὸν Θεὸν αὐτοῦ καὶ Θεὸν ἡμῶν, καὶ πατέρα αὐτοῦ καὶ πατέρα τῶν βιούντων κῦ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *Apage hoc Celsi consilium iubentis adorari Dæmonas, qui ne tantillum quidem audiendus est. Solus enim adorandus est Deus summus. Orandum etiam Verbum Dei vnigenitum & primogenitum omnis creaturæ. Et rogandum, vt, tanquam Pontifex precationem nostram deferat ad Deum suum & nostrum, patremque omnium qui viuunt iuxta verbum Dei.* Et rursus, ᾧ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδομεν, τούτῳ καὶ τὰς δυνάμεις αὐαπέμπομεν, *Cui primitias reddimus, eidem preces offerimus.*

XVII. Hæc de causa in hæreticis olim Angelici deputati, teste Augustino, capite de Hæresibus, *Angelorum cultu inclinati*, Id est, *Angelos*, adorabant, inquit Prateolus in Elencho. Inde Synodus Laodicena, canone 35. *Non oportet Christianos, derelicta Ecclesia Dei, abire, καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν, Et Angelos appellare.* Theodoretus in 2. ad Colossenses, *Synodus quæ conuenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos.* Antiquissimus Irenæus lib. 2. cap. 57. hunc errorem docet alienum ab Ecclesia, *Non est numerum dicere gratiarum, quas per vniuersum mundum Ecclesia à Deo recipiens in nomine Christi Iesu crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neque seducens aliquem, nec pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit à Deo, gratis & ministrat. Nec inuocationibus Angelicis faciat aliquid, nec incantationibus, nec aliqua praua curiositate: sed munde & pure, & manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit.*

CAP. VIII.

Status controuersiæ de Reliquiis.

I. DE Reliquiis non erit prolixum negotium, vtpote iam confectum. Enimuero, si nulla creatura adoranda religioso cultu, multo minus creaturarum reliquiæ. Nazianzeni hoc est in Sententiis distichis, ὕσσης ἄναγνον ἔοντα παρεστέμμεν θυέεσσι. δεινότερον νεκύων λείψανα πάντα σέβειν, *Sacrificare graue est non pura mente, sed omnis Defuncti peccat, qui colit ossa magis.*

II. Disputant tamen contra. Vasques disputatione centesima duodecima tertia in tertiam Thomæ. Bellarminus. Bailius Catechismi parte secunda, quæst. 52. Bellarminus De Sanctis lib. 2. cap. 1. & seqq. Peresius de Traditionibus parte 3. Ioannes Arboreus Theosophiæ lib. 1. cap. 37. Costerus Enchiridii cap. 13. Rubenus de Idololatria lib. 2. cap. 21. Lorichius in Fortalitio. Franciscus Agricola tractatu de Sanctorum SS. Reliquiis. Franciscus Moschus, Defensione Catholica de Veneratione reliquiarum Gallice edita. Baronius Annalium tomo 1. ad annum quinquagesimum quintum. Auratus in Paradoxis. Ex Catholicis autem Ioannes Caluinus Tractatu de Reliquiis. Riuetus Summæ Controuersiarum tractatu 2. quæst. 52.

III. Reliquiarum nomine, videntur olim solita intelligi corpora ipsa martyrum: quæ à Christianis solebant diligenter conquiri, & sepeliri honeste vt apparet ex Eusebij lib. 4. cap. 14. ἡμεῖς αἱρούμενοι τὰ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον ὀστᾶ αὐτῶ, ἀπιθέμεθα ὅπου καὶ ἀκόλουθον ἦν, *Nos*, inquiunt Smyrnenses, *ossa Polycarpi, potiora lapillis pretiosis, aureoque puriora auferentes, loco digno deposuimus.* Eunapius in Ædesio, de Christianis, ὀστέα καὶ κεφαλὰς τῶν ἐπὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασι ἁλωκότων, σωαλίζοντες, ὃς τὸ πολιτικὸν ἐκόλαζε δικαστήριον, Θεοὺς τε ἀποδείκνυσιν, καὶ προσεκαλινδοῦντο τοῖς (forte τοιούτοις) καὶ κρείττους ὑστελάμβανον εἶναι μολυνόμενοι πρὸς τοὺς τάφους, Quæ sic verto: *Ossa & capita collecta, eorum quot reos multorum criminum politici magistratus supplicio affecerant, Deos pronunciabant. Et iis aduoluebantur, sequatum meliores putabant, quum ad eorum sepulcra polluebantur.* Nam quid in mentem veniebat Hadriano Iunio, vt ὀστέα καὶ κεφαλὰς σωαλίζοντες redderet, *condita & salita capita?* Xenophon Cyropædiæ primo. πεζοὺς τε καὶ καὶ ἱππέας σωαλίσας. An sanus dicat *pedites atque equites conditos, salitosque?* Simile eiusdem Eunapij de legationibus, τὸ δὲ σωαλιοῦν καὶ πρὸς φυγὴν ὁρμῆσαν πλῆθος μὴ δὲ πολὺ τῶν εἴκοσι μυριάδων ἀποδέουσαν, *Congregata, atque in fugam versa multitudo, haud multum infra ducenta millia.*

IV. Ea corpora appellabantur λείψανα, *reliquiæ.* In Constitutionibus Apostolicis lib. 6. cap. postremo: τῶν τῷ Θεῷ ζώντων οὐδὲ τὰ λείψανα ἄτιμα, *Eorum qui apud Deum viuunt, ne reliquiæ quidem sunt inhonoratæ.* Apud Nazianzenum oratione in Cyprianum τὸ σῶμα ἀφανὲς ἦν: *Corpus nusquam apparebat, Deo desiderium nostrum exercentes εἰ μὴ φέροιμεν ζημιούμενοι, καὶ τῶν ἁγίων λειψάνων ἀποστερούμενοι, an patienter ferremus mulctari, priuarique sacris reliquiis?* Ambrosius Epistola octogesima quinta, si tamen ea est Ambrosij, *Si martyrum reliquias inuenero.* Sic apud Hieronymum ad Riparium: sic alias sæpe.

V. Verum

V. Verum à corporibus deinceps ad alia ventum. Damascenus Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 12. ait, πάντα τὰ Θεῷ αἰαχείρδρα προσκυνήδρι: *Adoramus quæcunque Deo adiacuerunt:* & præmiserat enumerationem: lignum crucis, clauos, lanceam, indumenta, præsepe, speluncam, Golgotha, sepulcrum, Sionem, & similia: quæ tamen omnia ad Christum solum pertinebant.

VI. Sed non continuit se intra eos terminos superstitio. Nam hodie reliquias sic definiunt Papistæ, vt nullus earum numerus iniri queat. Rubenus & Moschus ita appellari notant, Sanctorum corpora, ossa, cineres, vestimenta, & similia, quæ illi, animabus in cœlum excitis, his in terris reliquerunt. Peresius, quæcunque ipsorum propria fuisse videntur. Et illustratur hæc definitio, ipso maxime vsu Ecclesiæ Papisticæ, quæ nihil vidit tam exiguum, tam vile in sanctis, eorumque rebus, quod non sua cura dignum æstimauerit. Sic Mariæ virginis, non tantum particulæ corporis, vt crines, & lac, mirum si non etiam alicubi vngues: sed etiam totus mundus muliebris in κειμήλια relatus: Interulæ pepla, cingula, pectines, crepidæ, calcei, annuli. Iosephi eius mariti, etiam caligæ.

VII. Harum igitur reliquiarum de vsu nunc disputandum. Nam Damascenus dicebat προσκυνεῖσθαι *adorari.* Nostri Papistæ nec aliter sentiunt; nec aliter faciunt. Bellarminus tamen in loquendo cautior, earum cultum duntaxat nominat generalissimo vocabulo. Costerus, Sanctorum reliquias non abiiciendas, sed magno honore & pretio habendas. Peresius Christiana quadam modestia venerandas, & honorandas. Sed Agricola, non tantum honeste, & religiose asseruandas, sed etiam adorandas, seu venerandas. Rubenus honorandas, & adorandas. Coccius, religiose colendas, & seruandas. Sententia manifesta. Eas reliquias, non tantum honorandas, sed etiam eo cultu, qui religiosus sit.

VIII. At Catholici reliquias distinguũt, qua corpora significant, & qua res alias extra corpus. Illas negant abiiciendas, aut ludibrio habendas, sed honeste condendas. Non tantum, quia sint hominum reliquiæ, homines autem ij, qui quodam naturæ priuilegio, sepulturæ honorem sortiti, sed etiam quia Sanctorum. Itaque laudant primitiuæ Ecclesiæ piam diligentiam, tum in Stephano, tum in Polycarpo, tum in aliis. Reliquas autem quisquilias omnino ponunt in medio, vt neque impius sit qui pectines Mariæ non habeat, neque pius qui collegerit, aut contra. Omnino autem vllas reliquias, siue prioři notione, siue posteriori, negant colendas religioso cultu. Aliquando etiam proiiciendas credunt, si adhæserit superstitio, aut etiam idololatria. Denique, quia hoc quicquid est, siue honoris, siue officij, præter Scripturam est, præstare omnino omitti, quandoquidem experimẽto constet, vix ac ne vix quidem vsurpari posse, absque magno Ecclesiæ periculo.

CAP. IX.

An sint adorandæ reliquiæ.

I. SIc Papistæ disputant. Moses discessurus cum populo ex Ægypto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa sancti Iosephi, iamdudum mortui, sed ea honorifice secum asportauit, & transtulit in terram promissionis. Ergo transferte ossa Sanctorum, neque nouum, neque superstitiosum.

II. Verum repetenda est altius historia. Geneseos 41. post absolutum propheticum suum testamentum Iacob, *Ego,* inquit, *congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi, contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo possessionem sepulcri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac, cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.* Secundum id mandatum, Exodi 13. *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel dicens, Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.* En causam, ipsius Iacobi mandatum, & finem, sepulturam cum patribus. Emerat Abraham sibi suisque agrum, in eo sepulcrum sibi suisque: hæres Abrahami Iacobus voluit cum Abrahamo auo, cum Isaaco patre sepeliri, suis nepotibus mandatum voluit, vt cum ex Ægypto discederent, quod spiritu præuidebat multis post annis futurum tamen, sua deferrent ossa in id sepulcrum. Quid hoc ad rem? Nam hoc modo reliquias transferri, nemo est sanus qui improbet.

III. At Papistis nihil simile. Primo, nullum mandatum, aut Dei, aut eorum, quorum sunt reliquiæ. Nunquam enim credo, aut à Deo, aut à Petro & Paulo dictum, non bene ea corpora, primum fuisse condita, itaq; eruenda transferendaque. Secundò, sepulturæ, aut nulla, aut certe minima cura. Nam si esset, primo, quorsum refoderent? Terræ enim nulla nunc prærogatiua. Nec melius, credo, iacet Iacobi corpus Compostellæ, si iacet, quam olim Hierosolymis. Denique apud Papistas translationis nulla causa, præter superstitiose de intercessione inuocationeque Sanctorum conceptam opinionem, quæ nulla fuit Mosi. Itaque eius exemplum ad hanc controuersiam est ἀπροσδιόνυσον.

IV. At Deuter. vltimo, Deus ipse (vt Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honorauit, dum illud propriis manibus sepeliuit. Esto, inquam? Ergo ne adoranda Sanctorum corpora? Nunquam id vlla Sophistice persuadebit cordatis viris. Tantum illud, esse ergo Sanctorum corpora sepelienda: Quod quis negauit? Nisi forte Cynicum illum Diogenem excipias. Sed Christianis alia mens fuit semper, & nos ipsi sepulturas non negligimus, hoc teste sole, hac teste humo.

V. Posterior. is Regum 23. cum Iosias delubra idolorum euerteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, vt reliquias Sanctorum delendas esse existimaret, vt cum aliorum ossa mortuorum effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen Sancti Prophetæ ibidem reperta asseruari iussserit. Imo, inquam, tantum prohibuit sepulcrum moueri, *Dimitte eum,* inquit, *nemo commoueat ossa eius.* Nimirum id tantum docemur hoc exemplo, non esse refodienda Sanctorum sepulcra. Sed adorandas eorundem reliquias, nunquam Iosias cogitauit, non debet etiam Christianus cogitare.

VI. Verum de sepulcro Domini legimus Isaiæ 11. *In eum,* Messiam, *gentes sperabunt, & erit sepulcrum eius gloriosum.* Et intelligi hæc verba de sepulcro Christi, certum est, ex Apostoli decimo quinto ad Romanos. Nec de sepulcro tantum, quandiu Christi corpus in eo iacuit, sed etiam deinceps, docet Hieronymus ad Marcellam in Epistola, vt migret Bethlehem. Ergo reliquiæ sunt honorandæ.

VII. Respondeo primo, nullam esse consequentiam, à sepulcro Christi, ad omnes reliquias. Nullam item à gloria, ad adorationem, neque enim quæcunque gloriosa, ea adoranda: Nam ipsa Ecclesia dicitur gloriosa, Psal. 87. & ad Ephesios 5. quam tamen adorandam esse nemo hactenus dixit. Atque adeo ei sepulcro, vt esset gloriosum, sufficeret id ipsum, quod continuit corpus Filij Dei, quod nulli vnquam contigit. Eam igitur ob causam, quanuis à nemine vnquam adoraretur; dici tamen posset, & merito dici gloriosum.

VIII. Secundo, nego in Esaia quicquam esse de sepulcro Domini. Hebraice est מנוחתו: quod vocabulum significat *requiem eius,* vt Græce ἀνάπαυσις: atque adeo testatur Hieronymus ab omnibus expressum per *requiem.* Quid est, quod nos tantopere moueat solus Hieronymus? Et quidem nullo adiutus argumento necessario. Nam quod Bellarminus primum ipsa verba citat, deinde Paulum, leuiculè facit. Nam in ipsis verbis nihil est, si hoc demas Hieronymi factum nimium audax. A Paulo hæc verba nusquam citantur, sed ea tantum quæ præcedunt, *Erit radix Iesse, & qui exsurgat ad imperandum gentibus; in ipso gentes sperabunt.* Itaque ex Paulo concludi potest Esaiam prophetasse de Christo; sed de sepulcro Christi, non potest.

IX. Ex Psalm. 34. Rubenus mutuatur, *Custodit Dominus ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Et ex Matth. 10. Sanctorum *capilli capitis numerati sunt, qui de eorum capite non peribunt.* Cum tamen Psalmo 37. scriptum sit, *Reliquiæ impiorum interibunt.*

X. Sed hæc insignem oscitantiam significant eorum, qui Scripturam legentes, Scripturam vere negligunt, non enim intelligunt. Nam hi omnes loci de hominibus agunt, dum sunt in viuis. Duo quidem primi de Prouidentia Dei, cuius absque decreto nihil homini accidere potest. Tertius de eiusdem Iustitia in perdendis impiis. Itaque in primo, hæc est series, *Multa tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus; custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Hæc series docet istud de ossibus dici κατ' ἐξοχὴν præcedentis membri de liberatione à tribulationibus. Lombardus in eum locum, *Impletũ est in Domino nostro Iesu Christo, cuius crura non sunt fracta in cruce, & impletur in Sanctis suis, quorũ patientia in tribulationibus exercetur, sed non vincitur.* Nam *ossa* patientiam Lombardus exponit: & omnes antiqui discesserunt à sensu literæ, ad mysticum, ossaque intelligunt interioris hominis, id est, virtutes. Bellarminus seruari maluit ad beatam resurrectionem, restituenda in integrum. Itaque nihil ad reliquias hic locus.

XI. In secundum Hieronymus, *Quod ait, Vestri omnes capilli numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit prouidentiam, & ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrum lateat Deum, etiam parua & otiose dicta, eius scientiam non fugiunt.* Doctrina igitur generalis est, & non particulariter ad Sanctos pertinens. Nõ est igitur verum, reliquias intelligi. De tertio vix est, vt quicquam dicendum sit. Nam quod genus hoc argumenti est? *Reliquiæ impiorum interibunt,* ergo reliquiæ sanctorum sunt adorandæ? Quanquam Hebraice אחרית *posteritatem* significat potius quam *reliquias.*

XII. Hæmorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, & sanata est, Matthæi 9. & Actorum 5. non reprehenduntur populi, qui certatim ad vmbram Petri attingendam occurrebant, sed potius fidei suæ præmium tulisse dicuntur. Neque Actor. 19. habiti sunt superstitiosi, qui Pauli sudaria, & semicinctia deferebant ad ægrotos, sed potius eorum religionem miraculis confirmabat Deus.

XIII. Et tamen, inquam, nunquam fimbria Christi, nunquam vmbra Petri, nunquam sudaria Pauli, leguntur adorata, qua de re quæstio est. Enimuero, quis docuit non vtendum iis mediis, per quę bona sua nobis Deus largitur? Fontes plurimi sunt pene miraculosi, ad quos magnus fit populorum concursus, vtentium iis aquis, nec aquæ tamen adorantur. Quid? oleo nonne Apostoli vtebantur ad sanationes? Legat mihi aliquis oleum adoratum, ante stupidissima illa tempora, quæ clamarunt, *Aue sanctum oleum.* Ita olim Hæmorrhoissa, fimbriam non adorare, sed tangere voluit, vt sanaretur, sic alij vmbra, sudariisque vti ad morbos pollendos, nunquam adorare. At nunc stupidissimi Papistæ, non tangunt tantũ reliquias, sed adorare profitentur. Quanquam etiam, quorsum tangant? Non enim iugem voluit Christus esse miraculorum patrationem, sed initiis Christianismi proprium. Itaque fimbriam Christi præter vnam hæmorroissam nemo tetigit. Nec vmbram Petri in æternum sanat morbos, nec sudaria Pauli, quod quidem sciam, conseruata fuere.

XIV. Nec habent è Scripturis plura. Ratiunculas ergo colligunt. Et Patrum autoritates. Prima ratio, à miraculis. Nam secundi Regum 13. ossa Elizæi, mortuum ad vitam reuocarunt. Et apud Patres multa miraculorum commendatio ad Martyrum memorias patratorum. Multa etiam ipsis Martyrum corporibus, sic Iuuentij & Maximi vultus teste Chrysostomo, post mortem splenduerunt, sic Hilarionis corpus post menses decem comperatum integrum, teste Hieronymo. Sancti Vincentij corpus expositum feris à coruo defensum, teste Augustino. Sic alia multa. Ergo Deus non contemnit ossa Sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit. Et Epiphanius in vita Esaiæ, Ezechielis & Hieremiæ, scribit à plurimis coli solita sepulcra eorum ob multa beneficia, quæ in iis locis propter merita eorundem Deus conferebat.

XV. Respondeo, de primo genere miraculorum, non negari aliquando Deum, mira effecisse per huiusmodi Sanctorum reliquias, quanquam inde occasionem superstitiosi sumpserunt fingendi longe plura. Sed dico non sequi, ergo adorandas esse eas reliquias. Nam si de viuis non valebat, quanto minus de mortuis? Certe de viuis habes Actor. 3. *Viri Israelitæ, qui mirami ni super hoc, aut quid intentos oculos in nos habetis, qua propria vi ac pietate effecerimus, vt hic ambularet?*

XVI. De altero miraculorum genere primo hac etiam parte examen esse fictarum narrationum, quibus alij Rhetorico more encomia sua cumulando posse etiam accidere nonnullas huiusmodi, nec tamen inde concludi adorationem. Nam viuentis Stephani visa est facies, vt Angeli, Actor. 6. & tamen nemo Apostolorum dixit Stephanum adorandum. Nostro etiam æuo

inuenta sunt corpora longo post mortēm tempore integra. Romonij certe in hoc nostro Delphinatu, ante annos aliquot, cum ibidem esset summus Parlamenti Senatus, propter pestem Gratianopoli grassantem, refossum fuit cadauer, cui nihil deerat præter particulam barbæ. Id multos dies omnium oculis expositum fuit, deinde iterum conditum. Superstitiosi dicebant esse quendam iuuenem, cui à patre maledictum fuerat. Sed nemo adorandum dicebat.

XVII. De Epiphanio facile negotium. Primo id opusculū de Prophetarum vita & interitu, totus fabulis constat puerilibus, quibus ego quidem Epiphanio fieri puto iniuriā: Etsi enim solet ille nonnunquā ad traditiones diuertere, & quidem non solidas: tamen vix est vt putem tam indulsisse fabulis. Horum Prophetarum ita vita describitur, & exitus, vt aut nunquam, aut vix vnquam ex Scriptura. In Esaia multa de Siloa ridicule. In Hieremia de Aspidibus, & Crocodilis, & de Arca in dieresurrectionis, prima omnium suscitanda In Ezechiele de vberrimo piscium comeatu filiis Israel impetrato. Et alia plurima, quæ quantam fidem mereantur, iudicent sani. Id saltem concedent, non debuisse narrari omissis tam multis, quorum certissima veritas constat è Scripturis.

XVIII. Secundo, quid est in eo autore, quicunque sit, de adorandis reliquiis? In Hieremia, *Iacet in eo loco sepultus, quo dudum Pharao rex habitauerat: quamobrem Aegyptii postea magna eum religione colebant.* Et paulo post, *Qui vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco supplicare consueuerunt.* Nota, distingui Ægyptios à fidelibus. Ægyptiis autē tribui cultum Prophetæ: non autem fidelibus. His vero, tantum supplicationes in eo loco, nimirum vt Christiani solebant in memoriis martyrum Deo supplicare, non ipsis martyribus: Deum adorare non ipsos martyres. Similiter in Ezechiele, *Multi ad monumentum eius confluunt ad precationem, & obsequiū.* In Esaia tamen durius, *Populus Prophetam solo cum gloria, & honore reddidit, vt per eiusdem intercessiones in consummationem vsque seculi, aqua eiusmodi* (nempe è fonte Siloa) *fructus impetretur.* Sed hoc quis credat? Sermo est enim de populo Iudæo: nam is Esaiam condidit: neque Christiani leguntur vnquam postulasse aquas è fonte Siloa. Quis ergo audiit à Iudæis creditam intercessionem Sanctorum?

XIX. Secunda ratio, à reuelatione diuinitus facta sanctorum corporum. S. Ambrosio reuelata sunt Geruasij, & Protasij ipso teste, & Augustino. Luciano, Stephani, & Nicodemi. Cuidam fœminæ Nestabi, & Eusebij, teste Sozomeno lib. 5. cap. 8. Episcopo cuidam, Abacuc, & Michææ, teste eodem lib. 5. c. vltimo. Et lib. 9. c. 2. quadraginta martyrum. Ioannis Baptistæ caput duobus Monachis reuelatum testatur Beda in Matriano, & Barnabæ corpus in Zenone.

XX. Respondeo, primo mirum esse eas reuelationes tam seras fuisse. Nā omnium prima legitur illa Ambrosio facta corporum Geruasij, & Protasij, cui nisi testis accederet Augustinus, vix quisquā est quod fidem faciat. Nam illa Ambrosij ad sororem ea de re Epistola, mirum si cuiquam sano probari queat. Illud etiā mirum, has reuelationes eo crebriores factas, quo longius ritum à primordiis Ecclesiæ, & quo magis accessum ad ea tempora, quibus imaginum cultus vsurpatus est, & confirmatus. Primis autem purissimisque temporibus, ne sando quidem auditas vllas. Denique quid tum si reuelata corpora? At non adorata. Hoc autem est quod quæritur.

XXI. Tertia ratio à translatione reliquiarum, honoris gratia. Prima ossium Iosephi ex Ægypto in Palæstinam, Exodi 13. Deinde Petri, & Pauli, ad catacumbas apud Gregorium lib. 3. Epist. 30. & à Catacumbis ad Vaticanum partim ad prædium Lucinæ in via Hostiensi, epist. 1. Cornelij Papæ. Ioannis Baptistæ, Alexandriam ex Palæstina apud Rufinum lib. 2. c. 8. & 20. Et aliorum apud Hieronymum, Augustinum, Sozomenum, Theodoretum, Euagrium.

XXII. Respondeo, primo de translatione Iosephi, idem esse iudicium cum translatione Iacobi, de qua iam actum. Ad Reliquias quod attinet, eadem ratio est earum, & reuelationis. Nam quo magis instabat cultus imaginum eo crebriores fuere translationes, adeo vt tandem furta reliquiarum transierint in pietatem. At primis Ecclesiæ seculis, aut nullæ fuerunt, aut rarissimę. Enimuero Gregorius ex sexto demum seculo, tacentibus reliquis omnibus non satis habet autoritatis, vt persuadeat translatos Paulum & Petrum. Multo minus Cornelij Epistola, à Catacumbis in Vaticanū. Nam sepultos fuisse statim post martyrium, alterum in Vaticano, alterum ad viam Hostiensem, Veteres testantur, & ita docet Baronius anno Christi 69. Certe apud Eusebium lib. 2. cap. 24. id diserte testatur Caius autor in viuis sub Zephyrino, qui Cornelium præcessit annis plus quinquaginta. Vnde insignis impostura patet eius Epistolæ, in qua Cornelius suo tempore refert in Vaticanum fuisse Petrum translatum, & Paulum in viam Hostiensem. Quanquam eadem Epistola tota inepta est, & ex centonibus male consutis: Consules etiam adscriptos habet, Decium, & Maximum, qui Cornelio sedente nulli fuerunt.

XXIII. Translatio Ioannis Baptistæ, refertur à Ruffino ad tempora Iuliani Apostatæ. Et ipsa tamen non spontanea, sed coacta. Nam cum apud Sebastem Pagani Ioannis sepulchrum mente rabida, & funestis manibus inuasissent, ossaque dispergerent, imo cremarent igni, quidam Hierosolymitani furtim, quæ potuere, subduxere, detuleresque ad Athanasium, à quo sunt condita. Factum probe. Quis enim tam ferinam immanitatem non exhorreat? Quis, non ossa in eum modum dispersa colligat, vel solo humanitatis sensu inductus? Itaque laudandi, qui ossa hominis, & quidem sancti, ita sepulcro suo eruta, condiderunt.

XXIV. Sed legantur sane aliquot olim reliquiarū translationes, an non etiam adorationes, quę nostra causa est. Atqui negari nō potest, inquit Bellarminus, quin ad honorem pertineant sacrorum ossium translationes. Fateor, inquam, at nō ad adorationē. Solent enim hominum corpora honeste sepeliri: Eoque magis, quo illi fuere præstantes. Nihil igitur mirum, si cum, aut primo secundo corpora martyrum erant condenda, id non sit factum absque honore, & quidem magno, sed non alio, quam ciuili.

XXV. Quarta ratio, à reliquiis cōditis sub altaribus, ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Concilio Carthaginensi 5. Et videtur, inquit Bellarminus, ista consuetudo Apostolorū tempore cœpisse, quia Apocal. 6. ostensæ sunt Ioanni in cœlo animæ martyrū sub altari, propterea quod corpora eorum in terris sub altaribus quiescerent, vt Augustin. insinuat serm. 11. de Sanctis. Hunc autem reliquiis assignatum locum, ad magnum honorem pertinere, res ipsa docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ita vt etiam suo modo adorarentur: nam Tertullianus libro de Pœnitentia, inter ritus Christianorum ponit, aris Dei adgeniculari.

XXVI. Respondeo, hujus moris nullum exemplum reperiri antiquius Ambrosio. Nam etiam Athanasium Rufinus dicit reliquias Ioannis Baptistæ sub cauato sacrarij pariete inclusisse. Nec dubitari potest illud de altari deinceps fuissa frequentissimum. Sed quid tum, si non ab initio? Nam quod de Apocalypsi recitat, frustra est: ne satis solido fundamento nixum, sermone illo vndecimo de Sanctis: quod Augustino tribuitur immerito. Quis enim nescit Apostolorum tempore, multosq; post nulla fuisse Christianis altaria?

XXVII. Sed esto sane is locus tandem delectus in honorem Sanctorū. At primo, longe ab adoratione distat. Secundo, quod fit, non semper est argumentum eius quod est faciendum. Itaq; longe præstare censemus primam simplicitatem, quæ non potuit, nisi malo Ecclesiæ, degenerare in superstitionem. Adoratas suo modo aras, Christiani ignorarunt: neq; illud Tertulliani, aris adgeniculari, eo pertinet: sed tantum ad denotandum situm eorum, qui precarentur Deum.

XXVIII. Quinta ratio, ex vsu cereorum, & lampadum: quibus honorantur sacræ reliquiæ. Fuisse enim vsum accedendi cereos coram reliquiis, patet obiectione Vigilantij apud Hieronymum, *Videmus moles cereorum sole fulgente accendi.* Et ex ipso Hieronymo ad Riparium, *Ergo accensi ante tumulos eorum cerei idololatriæ insignia sunt?* Patet ex Constantino, qui inter alia dona, quæ obtulit sacris reliquiis Petri Pauli, Laurentij, Sāctæ Crucis, multa numerauit candelabra, multas lucernas, quæ perpetuo ardere deberent. Theodoretus historiæ lib. 5. c 36. testatur in translatione reliquiarum S. Chrysostomi, plurima prælata fuisse lumina. Paulinus natali tertio, describens cultum, ni Sancto Felici habebatur, *Clara coronantur densis altaria lychnis, Limina ceratis adolentur, odora papyris: Nocte, dieq; micant: sic nox, splendorq; diei, Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*

XXIX. Respondeo, ita me legere apud Hieronymum contra Vigilantium, *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris: Sed vt noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, de quibus vere possumus dicere, Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis?* Hinc nota duo. Primum olim in vsu fuisse lucernas, non in honorem Sanctorum, sed in solatium noctis. Nimirum: quia noctu sæpissime coibant cœtus, vnde dictæ vigiliæ. Et Paulinus eodem tertio Natali, *Properant in lucem à nocte: diemq; Expectare piget: votis auidus mora noctis Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.* Secundo ea initia in abusum venisse apud plebem, siue seculares, mulierculasque deuotas, à quibus in honorem Sanctorum cerei cœperunt incendi. Tertio hūc abusum fuisse ab imperitia, simplicitateque, & à zelo sine scientia. Id sufficit ad certum hoc de toto negotio iudicium. Illa autem Sylueſtri vita, vnde illa sunt de candelabris, & lucernis à Constantino donatis, mera est fabula.

XXX. Sexta ratio est ab vtili. Deus enim, vt Chrysostomus ac in libro de Sancto Babyla, nihil fere vtilius nobis reliquid ad salutem, Sanctorū reliquiis. Nihil enim efficacius repræsentat, & infigit in animo memoriam Sanctorum, quam sepulchrum ipsorum. Statim enim atque videmus sepulcrum Sancti alicuius, recordamur illius, & virtutum eius, patientiæ, charitatis, castitatis, pietatis, & simul cogitamus, quanta gloria fruatur in cœlis pro labore breuissimo huius vitæ.

XXXI. Respondeo, non quicquid vtile est, idē adorandū. Dicebat Alcibiades se excitari trophæis Miltiadis. Alexander ad sepulcrū Hectoris lacrymas fudit. Et possunt infinita eiusmodi colligi. Ex quib. nemo id conficiat, & Papistæ contendunt. Quid? quod hæ reliquiæ neminem afficiunt per se? Sed tantum ex præsumptis opinionibus? Sic Alcibiadem Miltiades cōmouebat, qui tamen ipse alios post se non mouit. Sic ad Cæsaris omnium fortissimi tumulum nullus fudit lacrymas. Nec huius ipsius reliquiæ cruētæ, populum Romanum mouissent, nisi adiutæ seditiosa Antonij oratione. Nec martyrū sepulcra in animas vllam vim habent, nisi occupatas ardentib. concionatorū homiliis. Præterea, Papistæ quod in martyrum monumentis quærunt, id minimū est, quod de pietate, castitate, patientia, constantia dicunt. Ne vnciam quidem ceræ sacrificuli haberent, si non adderent miracula, & intercessionem apud Deum, & temporalia beneficia. Antonio vix quisquam offert petnam, nisi vt porcos tueatur. Blandinę Viennenses nostri ne fibram quidem lanæ dederint, nisi in spem bonam lanificij.

XXXII. Iam vero Chrysostomus, nec nihil vtilius nobis relictū esse ad salutē dixit, nec nihil efficacius repręsentare memoriā Sāctorū. Hę sunt Bellarmini ὑποπτεύοντα, & κατεγνωσμένα. Cōtra diserte monumēta postponit sermoni. *Post sermonis facultatē, inquit, ipsa certe Sanctorū sepulcra proximū locū obtinēt, ad animas hominū in ipsos Sanctos intuentiū ad virtutū earundē æmulationē excitādas.* Ergo, inquā, iis reliquiis est quiddā adhuc vtilius, ad eū ipsū finem, quem pręse ferunt Papistę. Quid igitur? placetne sermonem adorari?

XXXIII. Septima ratio est ab honesto. Primo, corpora Sanctorū fuerunt organa animarū ad omne opus bonū. Secūdo, fuerūt, & sunt instrumēta Dei ad miracula. Tertio, sunt pignora patronorū. Quarto, sunt exuuię carissimorū. Quinto, sunt trophęa triūphantiū. Sexto, designata sunt ad gloriā incredibilē, vt sint post resurrectionem corpora sole clariora. His, aliisq; de causis Sanctorū reliquię à fidelibus magni fiunt, & debito cultu honorātur.

XXXI. Respondeo, primo non esse causas generales omnibus reliquiis: sed tantum corporibus. Neq; enim credo, zona, pectines, crepidæ Virginis, fuerunt eius organa ad opera bona, aut trophæa triumphantis, aut designata ad gloriam incredibilem. Deinde nulla hinc conclusio ad honorem religiosum. Honorentur sane, id est, habeantur in pretio: sed adorari, non est ęquum, imo ne honorari quidem, quatenus honor denotat officium ab inferiore præstitum excellentiori. Nam etsi corpora fuerint organa virtutum, & reliqua, quæ vult Bellarminus, tamen cum destituuntur anima, sunt longe infra viuentes, animatosq; fideles, ac proinde non debent honorari ab iis. Sed quatenus abusiue honorem quis appellabit, rei alicuius pretium, ita vt præferatur aliis rebus eiusdem generis, vt aurum metallis: ita reliquiæ illæ

rebus

rebus omnibus inanimatis, sunto per nos sane honorandę reliquiæ. Sed id ad cultum religiosum, quid facit?

XXXV. Restant Patres: in quibus nihil esse iam potest difficile. Nam primo, eorum nihil est antiquius Constantino Magno, hoc est, trecentis post Christum annis: excepto illo de sede lignea Iacobi Apostoli, ex Eusebio 7. historiæ libro, cap. 14. editionis Christophorsonianæ: perperam tamen expresso Græco contextu, quem ecce tibi: τὸ Ἰακώβου θρόνον καὶ Ἀπόστολε εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον οἱ τῇδε ἐξ Ἀμφιδεχλοῦ ἐπεποιήκασι ἀδελφοὶ σπουδῇ τοῖς πᾶσιν ἀποδείκνυντες· οἷον καὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας καὶ προφήτας ἔνεκεν, οἵ τε πάλαι, καὶ εἰς ἡμᾶς ἔσαιζόν τε, καὶ ἀποσώζεται ἀξιόχρεον σέβας. Cui vertendo loco emphasin addiderunt de suo, tum Rufinus, à quo Bellarminus maluit, tum Christophorsonus. Sed ita habet, *Iacobi Apostoli sedem huc usque seruatam, qui iis locis ordine successerunt fratres, perspicue cunctis ostendunt: adeo circa Sanctos viros propter pietatem retinebant olim, retinentque hodie condignum honorem.* At Rufinus, & ingens studium addidit, & à maioribus memoriam sanctitatis traditam, & cum magna veneratione haberi. Christophorsonus, *permagno æstimant*: Et sic solent plerunque, qui vertunt, ad sua præiudicia veteres autores inflectere. Sed redeo. Ergo trecentis post Christum annis, nullum omnino vestigium exstat adoratarum reliquiarum: vix etiam conseruatarum, nisi in sepulchris. Ergo ea veritas non est Christiana. Nam deinceps antea confessus sum, & inuectum id studium, & auctum.

XXXVI. Secundo in omnibus iis Patribus, nemo est, qui reliquiarum meminerit vllarum, nisi corporum. Excepto eo, quem dixi, Eusebio: Excepto item Athanasio in vita B. Antonij, qui ab eo sibi legatum pallium scribit tritum, & Antonium se in Antonij muneribus amplecti, recordarique per vestimentum imaginem sanctitatis. In quo non video quid sit momenti. Nam amicorum dona magni facere, maxime absentium, aut defunctorum, id vero est promiscui affectus, non cultus vllius religiosi: de quo instituta est disputatio hæc. Nec mihi legas itasse Christianos, & supplices esse factos illi sedi, illive pallio, aut coram iis plebem prouolutam preces suas demurmurasse, vota etiam exsoluisse: quæ si absint, tum nullum suis reliquiis honorem deferri queruntur nostri Papistæ.

XXXVII. Sed Bellarminus bis falso Chrysostomum citat ex Oratione in Inuentium, & Maximum. Semel, cap. 14. lib. 1. de Sanctis: Et iterum in hac controuersia. *Sæpius eos inuisamus, tumulos adoremus.* Nimirum falsata editione Latina incerti Interpretis, apud quem est, nõ *adoremus*, sed *adornemus*: quod ipsum tamen à Græco recedit, τὴν λάρνακα ἀπτώμεθα, *Capsulam attingamus*: sic enim repositũ in editione postrema Parisiensi Græco-Latina.

FINIS LIBRI VIGESIMVS.

LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

De IMAGINIBVS.

Caput Primum.

STATVS QVÆSTIONIS DE IMAGINIBVS DEI.

PERVENTVM ad Imagines; de quibus, qui erit tractatus, duas habet partes: vnam de Imaginum cultu, alteram de earundem positu in templis. Et illi primum de Imaginibus; deinde de Cruce.

II. De Imaginibus disputarunt Papistæ. Peresius de Traditionibus parte tertia. Lindanus Panopliæ libri tertij capite vicesimo tertio. Alanus Copus contra Magdeburgenses dialogis, 4. & quinto. Croquetius Catechesi quinquagesimo, & sequentibus. Clingius Locorum libro quarto, capite quadragesimo septimo. Sonnius tractatu secundo in Decalogum. Polygranus in Assertionibus. Panigarolla disputatione decima quarta. Alphonsus de Castro aduersus omnes hæreses libro octauo. Bellarminus de Sanctis libro secundo. Vasques in tertiam Thomæ disputatione centesima prima, & octo sequentibus. Andradius libro nono Orthodoxarum Explicationum. Costerus Enchiridij capite vndecimo. Ioannes Hayus disputationum libro secundo. Richeomus tractatu tertio. Gregorius de Valentia, de Idololatria lib. 1. cap. quinto. Bailius Catechismi parte secunda, quæstione tricesima tertia. Rubenus de Idololatria. li. 3. c. 26.

III. Contra imagines, Zuinglius in Responsione Senatus Tigurini ad Constantiensem Episcopum: & Responsiones ad Valentinum Comparem articulo tertio: & in Isagoge. Caluinus Institutionis libri primi capite vndecimo, & duodecimo. Petrus Martyr in Prioris Regum caput septimum, & in primum ad Romanos. Beza, responsione ad duos Apostatas. Bulingerus Decadis secundæ sermone secundo Musculus in locis Communibus, ad secundum Decalogi præceptum. Iuellus contra Hardingum articulo decimo quarto. Sadeel ad Abiurationis Burdegalensis articulum quinquagesimum nonum. Vrsinus, locis Communibus in secundũ præceptum. Chemnitius tomo quarto Examinis. Hospinianus de Templis libr. secundo. Plessæus de Eucharistia secundi cap. 2. & deinceps: & contra Ebroicensem Episcopum ad locum nonum. Rainoldus de Idololatria libro secundo. Iunius contra Bellarminum. Petrus Molinæus in Clypeo Fidei, sectio. 113. & seqq. quinque. Riuetus Summæ Controuersiarum tractatus secundi, quæst. 33.

IV. Imaginem Costerus definit, quæ aliud cum sit, aliud quippiam animis nostris denunciat. Quæ definitio generalissima est, atque adeo ab Augustino Signis tribuitur, de Principiis Dialecticæ, capite 5. *Signum est, quod & seipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Et de Doctrina Christiana lib. 2. cap. primo, *Signum est, res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.* Et sane fateor, non raro Imaginis nomen ab eiusmodi autoribus hac notione vsurpari. Imo etiam latius pro iis rebus, quę sub sensus non cadunt, vnde à Philosophis sic censentur etiam illę rerum species, quę animo concipiuntur. Sed hęc notio aliena est à nostro proposito. Nam & res sacras non possumus absq; illa intellectus imaginatione concipere: & Deus ipse commendauit Ecclesię primum typos multos in Veteri Testamento, tum etiam Sacramenta in Nouo, quæ passim à Veteribus appellantur Imagines.

V. Prætermitto alias Imaginis definitiones. Illud certum, primo Imaginibus omnibus, de quibus cum Papistis contendunt Catholici, commune esse, vt sint χειροποίητα, id est, *humanu facta manibus*: quo non tantum excluduntur illi animi conceptus: sed etiam veteres typi, nouaq; Sacramenta. Nam etsi nonnullis accedit industria humana: tamen, vt sint signa, id inde non habent: exempli gratia, Panis Eucharistię, sine dubio panis fit humanis manibus: at non itidem corpus Christi. sed hoc fit omnipotentia Dei.

VI. Deinde illud etiam cõmune omnibus imaginibus iisdẽ, vt per dimẽsiones suas agant in sensus humanos, & repræsentent id, cuius sunt imagines. Quo rursus distinguuntur, tum ab illis conceptibus, quorum dimẽsiones nullæ sunt: tum ab omnibus similitudinibus ductis ex vi naturæ: vt panis refert carnem Christi; non vllis suis dimensionibus: sed vi vlla, proprietateque, quam habet à sua natura, vt corpus nostrum pascat, sicut caro Christi animam. Similiter Aqua Sanguinem repræsentat, quia sicut aqua corpores abluit sordes: sic Sanguis Christi peccata. Itaq; plenè definiã Imagines, materiam huius controuersiæ, quicquid ab homine fit, vt per dimensiones suas aliquid repræsentet. Qua definitione includuntur imagines pictæ, fictæ, fusæ, sculptæ, cælatæ: & si quæ sunt aliæ. Quanquam videntur aliis distingui posse in Imagines, & Statuas: vt Imagines sint tantum superficiei lineamentis, Statuæ vero solidæ, habentes ὄγκον. Quod si fit, tum videtur simulacri nomen, vel effigiei, vel aliquod aliud sumendum pro genere: cuius illæ sint species. Sed non adeo λεπτολογοῦς grammaticantur Theologi, ac ne vsus quidem quotidianus.

VII. Iam vero Imagines huiusmodi, vel Dei sunt, vel Creaturarũ. Hinc partes duæ disputationis. Nam, primo de Imaginibus Dei quæritur, verũ sint licitæ: hoc est, vtrum homini liceat quicquam pingere, fingere, fundere, cælare, quo Deus repræsentetur. Hanc quæstionem tractant Bellarminus, Richeomus, & Vasques. Docent tribus modis posse pingi aliquid, vel ad exprimendam perfectam similitudinem formæ, & naturæ rei ipsius: quomodo solas res corporeas pingi. Vel ad historiam aliquam oculis exhibendam: vel ad explicandam naturam rei, non per immeditam, & propriam similitudinem, sed per analogiam, siue metaphoricas, mysticasq; significationes. Non posse autẽ primo modo pingi Deũ: sed posse secundo, & tertio.

VIII. At Catholici primum illum modũ, dicunt esse Iesuitarum figmẽtum: nunquam autem ab alio vllo cogitatum. Imo nullam vnquam pictura repræsentasse perfectam figuram, & naturam vllius rei, siue corporeæ, siue incorporeæ: sed tantum lineamenta in oculos incurrentia, & ad summum, colorem. Et quidem non perfecte, sed ἀναλογῶς. Nam vnus idemque homo, & in parua tabella pingitur, & in magna. Cœlum ipsum, & orbis terrarum in globulo exprimitur pugni ad instar. Enimuero magnum quid concedunt Papistæ Deo, cum eum negant pingi posse, quo modo nulla res omnino pingitur. Plena veritas habet, Deum nullo modo pingi debere.

CAP. II.

De Deo pingendo, argumenta Papistarum.

I. SVam sententiam Papistæ sic probant. Primo, Si Angeli, licet incorporei, pingi possunt: Ergo & Deus, quanuis incorporeus. At verum prius, Exodi 25. Et prioris Regum sexto. Ergo & posterius.

II. Respondeo, primo negari consequentiam. Nam præter quam quod incorporeus est, etiam infinitus Deus. Angeli vero tãtum sunt incorporei, non etiam infiniti. Est autem rei corporeæ ad incorporeã, quędam proportio, quandoquidem vtraq; finita. At rei finitę ad infinitam omnino nulla, ac proinde nulla similitudo. Est autem omnis imago ipsa sui definitione finita, quia constat lineamentis. Deinde non est tantum incommodi in pingendis Angelis, quantum in Deo: quia non est tantum momentum in gloria Angelorum, quantum in gloria Dei. Ad hęc nunquam prohibitum est Angelos pingere: vt prohibitum est Deum pingere.

III. Certe in Concilio Niceno 2. Actio. 5. recitatur locus ex Ioãne Thessalonicẽsi: in quo hoc ipsum argumentũ ab Ethnico obiectũ diluitur. Et approbatur quidẽ à Synodo locus: etsi alias non Catholice doceat de Angelis. Cũ enim sibi Ethnicus diceret, eque licet Deũ pingere, vt Christiano Angelos: Ioannis negauit: posse n. pingi Angelos, vtpote non expertes corporis, quamuis tenuissimi. At Deũ esse incorporeũ, & informabilẽ, *Solũmodo Deus incorporeus, & informabilis*, inquit, *Intelligibiles aũt creaturæ, nequaquã ex toto sunt incorporeæ, & imitabiles pictura existunt, & circumferentiã habent. Quanquã autem non sunt, vt nos corporei, vtpote ex quatuor elemẽtis, & crassa illa materia, nemo tamen, vel Angelos, vel dæmonas, vel animas dixerit incorporeas: multoties enim in proprio corpore visi sunt: sed ab illis qũib. Dominus oculos aperuit.* Sic ille: male quidẽ de Angelis: sed negans tamẽ consequentiam ab Angelis pictis ad Deũ pingendum: quæ nostrorum est Papistarum.

IV. Secundo, antecedens non est certum. Nam in Exodo, & in Regum, dicuntur